

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvillii Ciceronis De Natvra Deorvm Ad M Ivnivm Brvtvm Librvm I.
Commentarius Aldi Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



I N

M. TVLLII. CICERONIS
DE NATVRA. DEORVM
AD. M. IVNIVM. BRVTVM
LIBRVM. I.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

De difficultate, necessitate, & utilitate disputationis de dijs in primis agit Cicero; rationem etiam reddens, cur de philosophia scribat, & Academicam disciplinam sectetur. Deinde introducit Velleium Epicureum, recensentem, quid alij de dijs senserint, & quid ipse existimet: cuius deliramenta mox Cotta Academicus acri iudicio examinans, & conuellens, ostendit Epicurum uerbis reliquisse deos, re uera sustulisse.

CICERO



Vx multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sunt, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, et poscura quaestio est de natura deorum: quae & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria: de qua tam uariae sunt doctissimorum hominum, tamq. discrepantes sententiae, ut magno argumento esse debeat, causam, idest principium philosophiae, esse incipientiam, prudenterq. Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse. quid est enim temeritate fortius? aut quid tam temerarium, tamq. indignum sapientis grauitate, atque constantia, quam aut falsum sentire, aut, quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere? uelut in hac quaestione, plerique, quod maxime uerisimile est, & quod omnes ducunt naturam uehimur, deos esse dixerunt; dubitare se, Protagoras: nullos esse omnino, Diagoras Melius, &

Theodorus Cyrenaicus putauerunt. qui uero deos esse dixerunt, tanta sunt in uarietate, ac dissensione constituti, ut eorum molestum sit annumerare sententias. nam & de figuris deorum, & de locis, atque sedibus, & actione uitae multa dicuntur: deq. his summa philosophorum dissensione certatur. quod uero maxime rem, causamq. continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, an ab omni curatione, & administratione rerum uacent; an contra ab his & a principio omnia facta, & constituta sint, & ad infinium tempus regantur, atque moueantur: in primis magna dissensio est: eaq. nisi diiudicatur, in summo errore necesse est homines, atque in maximarum rerum ignorantia uersari. Sunt enim philosophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere censuerunt humanarum rerum procuracionem deos. quorum si uera sententia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? haec enim omnia pure, ac caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animaduertuntur ab ijs, & si est aliquid a dijs immortalibus hominum generi tributum. sin autem dii neque possunt nos iuuare, nec uolunt; nec curant omnino, nec, quid agamus, animaduertunt;

A

uertunt; nec est, quod ab his ad hominum uitam permanare possit: quid est, quod ullos dijs immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? in specie autem fictae simulationis, sicut reliquae uirtutes, ita pietas inesse non potest: cum qua simul & sanctitatem, & religionem tolli necesse est: quibus sublatis, perturbatio uitae sequitur, & magna confusio. atque haud scio, an, pietate aduersus deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima uirtus, iustitia tollatur. Sunt autem alij philosophi, et hi quidem magni, atque nobiles, qui deorum mente, atque ratione omnem mundum administrari & regi censeant: neque uero id solum, sed etiam ab ipsius uitae hominum consilio, & prouideri. nam & fruges, & reliqua, quae terra pariat, & tempestat, ac temporum uarietates, caelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a dijs immortalibus tribui generi humano putant, multaque, quae dicuntur in his libris, colligunt: quae talia

sunt, ut ea ipsa dii immortales ad usum hominum fabricati paene uideantur. Contra quos Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non socordes ad ueri inuestigandi cupiditatem. res enim nulla est, de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant. quorum opiniones cum tam uariae sint, tamq. inter se dissidentes: alterum fieri profecto potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una uera sit. quae quidem in causa & beneuolus obuiurgatores placare, et inuidios uiruperatores confutare possumus; ut alteros reprehendisse paeniteat, alteri se didicisse gaudeant. nam, qui admonent, amice docendi sunt; qui inimice insectantur, repellendi. multum autem fluxisse uideo de libris nostris, quos, complures breui tempore edidimus, uariumq. sermonem, partim admirantium, unde hoc philosophandi nobis subito studium exstitisset, partim, quid quaque de re certi haberemus, scire cupientium.

EXPLANATIO



VM multae res? Exordium ex natura, hoc est essentia deorum, de qua in his libris disputatur: facit autem attetos lectores, ex rei difficultate, obscuritate, & utilitate. **EXPLICATAE** & enarratae. **Q**VAESTIO? propositio, quae in dubitationem adducta est. **P**VLCHERRIMA? honestissima, & gloriosissima. **M**ODERANDAM? temperandam. **D**E qua tam uariae? obscuritatis argumentum sunt sententiae philosophorum dissentientes. **D**ISCREPANTES? dissonae. **A**RGUMENTO? demonstratione. **P**RVDENTER? caute. **Q**UID est enim temeritate fortius? Aut hic, Fortius, in malam partem est accipiendum, quali uiolentius; qua significatione hanc uocem alibi non memini me legisse: aut pro, Fortius, reponendum Foedius; quod affirmare sine libris antiquis non audeo. Haec Paullus pater. Alii, **F**ORTIUS, id est obstinatius. nonnulli si quidem praesumptae opinioni sic inhaerescunt, ut non facile auelli possint. Horum temeritatem alibi notus Cicero, dicit: Sed nescio quomodo pleriq. errare malunt, eamq. sententiam, quam adamauerunt, pugnantissime defendere, quam sine pertinacia quid constantissime dicatur exquirere. **T**EMERARIUM, id est inconstitutum, sanum. **C**ONSTANTIA, id est iudicio firmo, non fluctuante. **S**ENTIRE, id est affirmare. **E**XPLORARE? exquirere. **P**LERIQVE, id est magna pars hominum. **V**ERISIMILE? probabile. **Q**UO? ad quam opinionem. **D**UBITARE? ambigere. **D**IAGORAS Melius, id est ex Melo insula, una Cycladum, & urbe eiusdem nominis. **T**HEODORVS? praeterea Euhemerus Aegiata, & Callimachus. Eusebius lib. 1. 4. cap. 6. de praeparat. Euangel. Et Critias Atheniensis, tyrannus. Sextus Empiricus lib. III. Pyrrh. hypot. cap. 2. 4. Item Prodicus Chius. idem aduersus Mathem. **C**YRENATICVS? ex Cyrene opido Africae. **N**AM & de figuris? Capita controuersiae. **Q**UO uero maxime & c. id est Receptam lectionem non improbo; neque enim est, cur debeam. Sed, ut medici non eos solum, qui aegrotant, sed eos etiam, qui satis commode habent, interdum curant, ut, ad naturae beneficium addito artis adiumento, quain optimam ualitudinem, & speciem consequantur: sic nos non ea modo, quae, errorum tenebris inuoluta, minus perspicua sunt, sed si quid etiam eiusmodi est, quod lectorem omnino non fugiat, quanto magis possumus correctione illustramus: ut hoc in loco, dixi me receptam lectionem non improbare: tamen ad distinguendas sententiae partes quiddam ualeat, si ita legas: **Q**UO uero maxime rem, causamq. continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, ab omni curatione, & administratione rerum uacent, an contra ab his & a principio omnia facta, & constituta sint & c. Haec Paullus pater. **M**OLIANTVR? meditentur, curent. **V**AGANT? immunes sint. **I**N primis magna dissensio est? id est Amplificatio difficultatis ex principali parte disputationis, quae est de prouidentia, & ex eius explicatione maxime necessaria. **D**IVIDICATVR? desipitur. **E**RRORE? tenebris, & caligine uitae. **P**HILOSOPHI, id est Epicureos innuit: quorum deliramenta nata sunt in horis ueneris, cum nihil appetant praeter otium, & turpissimam uoluptatem, ad quam etiam caeli numen detrahere laborarunt. **I**TA? ea condicione. **P**ERMANARE? defluere. **Q**UID est? quae causa est. **I**N specie autem, & c. id est sensus est: ut reliquae uirtutes non possunt simulari, sic nec pietas: quoniam, ut alibi dicit Cicero, nihil simulatum potest esse diuturnum: & ita omnia ficta celeriter, tamquam flosculi decidunt. **P**ERTURBATIO? actionum, & officiorum, quibus humana uita decoratur. **C**ONFUSIO, id est iuris, & iniuriae, ut nullus ordo remaneat, si fundamentum uel maximum reip. religio tollatur e medio. **F**IDES? firmitas dictorum, conuentorumque. **S**OCIETAS? coniunctio, comitas, amicitia mutua, beneficiorum officiorumque, uicissitudo. **E**XCELLENTISSIMA? praeclarissima: est enim iustitia communis uirtus, cuique tribuens quod illi debetur, itaque cum Deum honorat, pietas appellatur; cum hominibus prospicit, officium; cum uita defunctos non fraudat, fides. **S**UNT autem alij philosophi, id est Saniorum philosophorum sententia de prouidentia dei. **M**AGNI? docti. **N**OBILES, id est celebres, & clari. **M**ENTE, id est consilio. **R**ATIONE? prouidentia. **C**ENSEANT? putent, iudicent.

iudicent, statuant. **TEMPESTATES**, & dimensa temporum spatia. **PVBESCAN**T, & uigeant, fructusq. ferant. **CARNEADES**, & Cyrenaicus, nouorum Academicorum acerimus. Idem Cic. de legibus: Perturbatricem autem omnium rerum Academicam hanc ab Arcefila, & Carneade recentem exoremus, ut fileat. **VT excitaret** & **secordes** & cordatos, prudentes. **RES enim nulla est**, & Collatio speciei cum genere augens difficultatem. **NON TERV**M profecto & Dissidentium opinionum, vel nulla, vel non plus vna potest esse uera. **QVA quidem in causa** & Finis disputationis cum aduersariis, ut rei veritate, & euidentia conuicti, vel placatiores fiant, vel exploria librorum suorum de philosophia, praesertim Academica. **FLVXISSE** & emanasse. **STVDIVM** & uoluntas. **EXSTITISSET**, & emerisset.

CICERO

MULTI S. etiam sensu mirabile uideri, eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quae lucem eriperet, & quasi noctem quandam rebus offunderet; desertaeq. disciplinae, & iam pridem relictae patrocinium nec opinatum a nobis esse susceptum. Nos autem nec subito coepimus philosophari; nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam, curamq. consumpsimus: & cum minime uidebamur, tum maxime philosophabamur. quod et orationes declarant, refertae philosophorum sententias; & doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit; & principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. & si omnia philosophiae praecepta referuntur ad uitam; arbitramur nos & publicis, & priuatis in rebus ea praesitisse, quae ratio, & doctrina praescripserit. Sin autem quis requirit, quae causa nos impulerit, ut haec tam sero litteris maderemus, nihil est, quod expedire tam facile possimus. Nam, cum otio langueremus, & is esset reip. status, ut eam inuis consilio, atque cura gubernari necesse esset: primum ipsius reip. causa philosophiam nostris hominibus explicandam putauimus, magni existimans interesse ad decus, & laudem ciuitatis, res tam graues, tamq. praeclaras Latinis etiam litteris contineri. eoque me minus instituti mei paenitet, quod facile sentio, quam multorum non modo discendi, sed etiam scribendi studia commouerim. complures enim; Graecis institutionibus eruditi, ea, quae didicerant, cum ciuibus suis communicare non poterant; quod illa, quae a Graecis acceperunt, Latine dici posse diffiderent. quo in genere tantum profecisse uidemur, ut a Graecis ne uerborum quidem copia uinceremur. Hortata est etiam, ut me ad haec conferrem, animi aegritudo, fortunae magna, & graui commota iniuria: cuius si maiorem aliquam leuationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem. ea uero ipsa nulla ratione melius frui potui, quam si me non modo ad legendos

libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedissem. omnes autem eius partes, atque omnia membra tum facillime noscuntur, cum totae quaestiones scribendo explicantur. est enim admirabilis quaedam continuatio, seriesq. rerum, ut alia ex alia nexa, & omnes inter se aptae, colligataeque uideantur. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus; curiosius id faciunt, quam necesse est. non enim tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt. quin etiam obest plerumque ijs, qui discere uolunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. definunt enim suum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum uident. Nec uero probare solco id, quod de Pythagoreis acceperimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex ijs quaereretur, quare ita esset, respondere solitos, Ipse dixit. ipse autem, erat Pythagoras. tantum opinio praedicata poterat, ut etiam sine ratione ualere auctoritas. Qui autem mirantur, nos hanc potissimum disciplinam secutos; his quattuor Academicis libris satis responsum uidetur. Nec uero desertarum, relictarumque rerum patrocinium suscepimus. non enim hominum interitu sententiae quoque occidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderant: ut haec in philosophia ratio, contra omnia differendi, nullamque rem aperte iudicandi, profecta a Socrate, repetita ab Arcefila, confirmata a Carneade, usque ad nostram uiguit aetatem: quam nunc pro pemedum orbam esse in ipsa Graecia intelligo. quod non Academiae uitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse. nam, si, singulas disciplinas percipere, magnum est; quanto maius, omnes & quod facere ijs necesse est, quibus propositum est, ueri reperiendi causa, & contra omnes philosophos, & pro omnibus dicere. cuius rei tantae, tamq. difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse praemesero.

EXPLANATIO

NOCTEM & ambiguitatem, & ignorantiam: quoniam statuit nihil certo sciri posse. **INSTITVTI** & eruditi. **REFERVNTVR** & reducuntur. **SIN autem** & Expositio causae, cur tam sero ediderit, & **εφορμη** quidem fuit uacatio a publicis muneribus, finalis uero reip. cura, & salus. **PRAESCRIPSERIT**, & praefinierit. **VNIUS** & Caesaris. **REIP. causa** & communi uilitate. **NOSTRIS** & Romanis, & Latinis. **MAGNI** & multum: cum essent cognitione dignissima. **CONTINERI**, & comprehendi. **INSTITVTI** & incepti. **INSTITUTIONIBVS** & disciplinis. **COMMVNICARE** & conferre. **QVO in genere** & scribendi philosophica Latinis uocibus. **TANTVM profecisse** & locupletando egestatem Romani sermonis. Vnde Lucanus, Romani maximus auctor Tullius eloquij. **HORTATA est etiam** & **προκαταρκτικόν αἴτιον**, leuatio aegritudinis animi.

A 2 propter

propter casum reip. AEGRITUDO, & maeror obortus ex interitu patriae libertatis. LEVATIONEM & curationem. Ad hanc & philosophicam, & litterariam. OMNES autem & scribendo, plurimum in causae cuiusque cognitione proficitur. TOTAE & integrae, quoniam res inuicem connexae sunt, & se vicissim declarant. QVI autem requirunt, & Respondet curiosae quaerentibus in quaerere auctoritates. CYRIOSVS & maiori cura. MOMENTA & uires. QVIN etiam & in discendo, & disputando non tam auctoritas, quam rationis momenta spectanda sunt. AVCTORITAS & aestimatio de dignitate & sapientia. RATVM & exploratum, certum. QVOD de Pythagoreis & Pythagoreorum, αὐτὸς ἴσα QVARE ita esset, & quae esset ratio huius affirmationis. PRAEIVDICATA & ante constituta de excellentia doctoris. Praejudicium, siue anteccepta opinio impedit ueram causae cognitionem, atque dijudicationem. QVI autem mirantur, & Altera pars Apologiae de Academica disciplina. DISCIPLINAM & modum philosophandi, in quo personae aestimatio non oblit iudicij. NEC uero & Eos refellit, qui rationem Academicam derelictam, & obsoletam alleuerant. VT haec in philosophia & Ab auctoritate Socrates, & qui ab eo sunt, hoc usque ad extremum tenuerunt, nihil ut affirmarent. RATIO, & modus, & via disputandi. A SOCRATE, & qui dixit se unum tantum scire, quod nihil sciret. REPETITA & in usum reuocata. VIGIT & celebrata est, & culta. ORBAM & priuatam cultoribus. TARDITATE & hebetudine ingenij. NAM, si singulas & Ex parte totius collatio, siue aestimatio. PROPOSITVM & decretum. CUIVS rei tantae & Modesta extenuatio auctoris. FACULTATEM & possibilitatem.

C I C E R O

NEC tamen fieri potest, ut, qui hac ratione philosophentur, ij nihil habeant, quod sequantur. dictum est hac de re alio loco diligentius: sed, quia nimis indociles quidam, tardiq. sunt, admonendi uidentur saepius. Non enim sumus ij, quibus nihil uerum esse uideatur; sed ij, qui omnibus ueris falsa quaedam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in ijs nulla insit certa iudicandi, & assentiendi nota. ex quo exsistit & illud, multa esse probabilia: quae quaquam non perciperentur, tamen, quia uisum haberent quendam insignem, & illustrem, his sapientis uita regeretur. Sed iam, ut omni me inuidia liberem, ponam in medio sententias philosophorum de natura deorum. quo quidem loco conuocandi omnes uidentur, qui, quae sit earum uera, iudicent. tum demum mihi procax Academia uidebitur, si aut cōsenserint omnes; aut erit inuentus aliquis, qui, quid uerum sit, inuenerit. itaque mihi libet exclamare, ut Statius in Synephebis:

Pro deum, popularium omnium, omnium adolescentium.

Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atque implo-ro fidem:

non leuissima de re, ut queritur ille fieri in ciuitate facinora capitalia,

Ab amico amante argentum accipere meretrix non uult:

sed ut adsint, cognoscant, animaduertant, quid de religione, pietate, sanctitate, caerimonijs, fide, iureiurando, quid de templis, delubris, sacrificijsq. sollemnibus, quid de ipsis auspicijs, quibus nos praesumus, existimandum sit. haec enim omnia ad hanc de dijs immortalibus quaestionem referenda sunt. profecto eos ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dissenso. quod cum saepe alias, tum maxime animaduerti, cum apud C. Cottam, familiarem meum, accurate sane, & diligenter de dijs immortalibus disputatum sit. Nam, cum serijs Latinis ad eum, ipsius rogatu, accessitq. uenissim; offendi eum sedentem in exbedra, & cum C. Velleio senatore disputantem: ad quem tum Epicurei primas ex nostris hominibus deferebat. aderat etiam Q. Lucilius Balbus:

qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Graecis compararetur. Tum, ut me Cotta uidit, Peropportune, inquit, uenis: oritur enim mihi magna de re altercatio cum Velleio: cui, pro tuo studio, non est alienum te interesse. Atqui mihi quoque uideor, inquam, uenisse, ut dicis, opportune. tres enim trium disciplinarum principes conuenistis. M. enim Piso si adesset, nullius philosophiae, earum quidem, quae in honore sunt, uacaret locus. Tum Cotta, Si, inquit, liber Antiochi nostri, qui ab eo nuper ad Balbum missus est, uera loquitur: nihil est, quod Pisonem, familiarem tuum, desideres. Antiocho enim Stoici cum Peripateticis re concinere uidentur, uerbis discrepare. quo de libro, uelim scire, Balbe, quid sentias. Ego ne inquit ille. miror Antiochum, hominem in primis accutum, non uidisse; interesse plurimum inter Stoicos; qui honesta a commodis, non nomine, sed genere toto disungerent; & Peripateticos, qui honesta commiscerent commodis; ut ea inter se magnitudine, & quasi gradibus, non genere, differrent. haec enim est non uerborum parua, sed rerum permagna dissensio. Verum haec alias; nunc, quod coepimus; si uidetur. Mihi uero, inquit Cotta, uidetur. sed, ut hic, qui interuenit, me intuens, ne ignoret quae res agitur; De natura agebamus deorum: quae cum mihi uideretur perobscura; ut semper uideri solet; Epicuri ex Velleio sciscitabar sententiam. Quamobrem inquit, Vellei, nisi molestum est, repete quae coeperras. Repetam uero. Quamquam non mihi, sed tibi hic uenit adiutor. ambo enim, inquit arridens, ab eodem Philone, nihil scire, didicistis. Tum ego, quid didicerimus, Cotta uiderit: tu autem, nolo, existimes me adiutorem huic uenisse, sed adiutorem huic uenisse, sed auditorem, & quidem aequum, libero iudicio, nulla eiusmodi adstrictum necessitate, ut mihi uelim, nolim, sit certa quaedam tuenda sententia. Tum Velleius, Fidenter sane, ut solent isti, nihil tam uerens, quam ne dubitare aliqua de re uideretur; tamquam modo ex deorum concilio, & ex Epicuri intermundijs descendisset; audite, inquit, non commenticias, futilesq. sententias, non opificem, ac edificatoremq. mundi Platonis de Timaeo deum; nec aut fatidi-

fatidicam Stoicorum *προβλεψαν*, quam Latine licet providentiam dicere; neque uero mundum ipsum animo, & sensibus praeditum, rotundum, ardentem, uolubilem deum; porcenta, & miracula non differentium philosophorum, sed somniantium. quibus enim oculis intreri potuit uester Plato fabricam illam tanti operis, quae constructa a deo, atque aedificari mundum facit? quae molitio? quae ferramenta? qui ue-

stes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem oboedire, & parere uoluntati architecti aer, ignis, aqua, terra potuerunt? unde uero orae illae quinque formae, ex quibus reliquae formantur, apte cadentes ad animum efficiendum, pariendosq. sensus? longum est iter ad omnia quae talia sunt, ut optata magis, quam inuenta, uideantur.

EXPLANATIO

NEc tamen *ἐπιπροβλεψαν*, haec tamen secta Academica non plane relinquit homines in dubio. ALIO loco *ἐν* Academicis. INDOCILES *ἐν* inepti ad doctrinam. NON enim sumus *ἡ* Declaratio suae sectae, quae non certitudinem adimit rebus, sed summa contentione laborat in discernendis ueris a fallis, & quamuis certi nihil pronunciat, speciem tamen ueri sequitur. NULLA certa nota *ἐν* nullum certum signum. VISVM *ἐν* ad spectum. INSIGNEM *ἐν* notabilem. ILLUSTREM *ἐν* clarum, euidentem. SED iam *ἐν* Propositio libri primi complectentis congeriem opinionum philosophicarum de natura deorum. INUIDIA *ἐν* eorum, qui Academicam philosophandi rationem tamquam arrogantem calumniantur: cum non quaerat, quid sentiant auctores, sed quid in causa sentiendum sit. IN medio *ἐν* in communi iudicio. ITAQUE *ἐν* Exclamatio, quae & exultat animos ad attentionem, & disputationis usum ostendit. STATIVS *ἐν* id est Caecilius cognomento Statius. Fuit Comoediarum poeta inclycus. Idem Cic. in Catone maiore: Vt ait Statius noster in Synephebis. Synephebi nomen comoediae, Latine Compubescentes. DEVM *ἐν* deorum. FIDEM: *ἐν* auxilium. CAPITALIA, *ἐν* perniciofa, & poena capitis punienda. SOLLEMNI BVS, *ἐν* sumptuosus. AVSPICIS *ἐν* diuinationibus ex auium inspectione. QVOD cum saepe *ἐν* Ocasio disputationis. REFERENDA *ἐν* reducenda. FERILIS Latinis *ἐν* Pridie Kalendas Aprilis. Et cum C. Velleio *ἐν* Velleius tuetur personam Epicuri, Balbus Stoici, Cotta Academici. IN exhedra *ἐν* porticus erant, in quibus disputabant philosophi, rhetores, ac reliqui, qui studijs delectabantur. Vitruuius. PRIMAS *ἐν* hoc est nomen summae eruditionis. IN Stoicis *ἐν* scilicet disciplinis. TRIVM disciplinarum *ἐν* quatuor igitur philosophorum disciplinae, Academica, Stoica, Peripatetica, Epicurea: quibus honor solis fuit. VACARET *ἐν* pacius esset. ANTI OCHO enim Stoici *ἐν* *λογομαχία* Stoicorum cum Peripateticis. RE concinere *ἐν* in dogmate, in sententijs concordare. VERBIS *ἐν* appellationibus ipsarum rerum. GENERE toto *ἐν* Vt aliud sit honestum, aliud utile. Commune genus honesti, & utilitatis est bonum secundum Peripateticos. Recte enim dicitur, seu uirtus est bonum, scilicet morale. Et uita, sanitas &c. est bonum, scilicet utile. At Stoici uitam, sanitatem, & cetera commoda negant recte dici bona, sed solam uirtutem bonam uocant. COMMISERENT *ἐν* ut honestum omne sit utile, & contra: nihil sit utile, nisi idem sit honestum. MAGNITUDE *ἐν* ut aliud sit honestum magis, uel minus, &c. GRADIBVS, *ἐν* discriminiibus: quoniam Peripatetici supremum gradum dabant uirtuti, secundum bonis corporis, tertium bonis externis. Stoici autem nihil appellabant bonum praeter ipsum honestum, id est ipsam uirtutem: cetera uero aestimabilia nominabant. NIHIL scire, *ἐν* nihil affirmare. TVM Velleius *ἐν* Confidentia Epicuri ex matre infantia, & futilis oratio de alijs recensens delirantium philosophorum somnia. Ex deorum concilio, *ἐν* Ex sublimi aere, siue caelo, in quo quasi in aula conueniunt, & concilium ineunt alia, quasi dii, & mundi partes. Et ex Epicuri intermundijs descendisset *ἐν* Epicurus intermundia appellauit spatia mundi, uidelicet aera tenuem sublimi proximum, atque crassum illum nobis proximum. Est ergo sensus, Velleius fidenter locutus est, tamquam modo adueniens de caelo, ubi deorum est concilium, ac proinde pertransiens utrumque aera descendit in terram ad ostendendum hominibus, quae ipse optime nouerit de diuina natura. AVDITE, inquit &c. *ἐν* Attentio. FUTILES *ἐν* labiles, inconstantes. PLATONIS Timaeo *ἐν* is est dialogus, in quo Plato inducit Timaeum Locrensem disputantem cum Socrate de origine mundi, atque eius auctore deo optimo maximo. ANVM fatidicam *ἐν* fatorum decreta exponentem. Prouidentia anus fatidica secundum Stoicos. ARDENTEM *ἐν* ignitum. QVIBVS enim oculis *ἐν* Platonem fugillat, ut euertat fundamentum sententiae de condito mundo a deo. QVAE molitio? *ἐν* aedificatio. ILLAE quinque formae *ἐν* Ficinus ex Timaeo Platonis appellat quinque rerum genera, cuiusmodi sunt: essentia, idem, alterum status, motus, unde formae reliquae, id est, conceptus animae formantur.

CICERO

SED illa palmaris quidem, quod, qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum. hunc censet primis, ut dicitur labris gustasse physiologiam, qui quidquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse? quae est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cuius principium aliquod sit, nihil sit exitum? *ἀπόρροια*. uero si uestra est, Lucili; eadem

requiro, quae paullo ante, ministros, machinas, omnem totius orbis designationem, atque apparatus: sin alia est; cur mortalem fecerit mundum, non, quem admodum Platonis deus, sempiternum. ab utroque autem sciscitor, cur mundi aedificatores repente exstiterint, innumerabilia ante saecula dormierint: non enim, si mundus nullus erat, saecula non erant. saecula nunc dico, non ea, quae dierum nocturnumq. numero

numero annis cursibus conficiuntur: nam fatior ea sine mundi conuersione effici non potuisse: sed fuit quaedam ab infinito tempore aeternitas, quam nulla temporum circumscriptione metiebatur; spatio tamen, qualis ea fuerit, intelligi non potest: quod ne incogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus aliquod, nullum cum tempus esset. isto igitur tam immenso spatio, quaero, Balbe, cur *πρόνοια* uestra cessauerit. laborem ne fugiebat? at iste nec attingit deum, nec erat ullus; cum omnes naturae numini diuino, caelum, ignes, terrae, maria, parerent. Quid autem erat, quod concupisceret deus mundum signis, & luminibus, tamquam aedilis, ornare? si, ut dicitur, cui par nulla ne cogitari quidem possit: in qua, deus ipse melius habitaret: ante a uidelicet tempore non uideo, ubinam mens constans, & uita beata posset infinito in tenebris, tamquam in gurgustio, habitare posset insistere. quodq; in nostro corpore si minima exuerat. Post autem, uarietate ne eum delectari parte significetur; molestum sit; cur hoc idem non tamus, qua caelum & terras exornatas uidemus? ob habeatur molestum in deos terra enim profecto, quod quae ista potest esse oblectatio deo? quae si esset, non in pars mundi est, pars est etiam dei. at qui terras ea tam diu carere potuisset. An haec, ut fere dicuntur, maximas regiones inhabitabiles, & atque incultas nitis, hominum causa a deo constituta sunt? sapienter in modum; quod pars earum appulsi solis exarserit, tum ne? propter paucos ergo tanta est facta rerum pars obriguerit nite, pruinaque, longinquo solis abmolitio. an stultorum? at, primum, causa non fuit, quae, si mundus est deus? quoniam partes cur de improbis bene mereretur: deinde, quid est asperitas mundi? dei membra partim ardentia, partim resecutus; cum omnes stulti sint sine dubio miserissimi? frigida dicenda sunt. Atque haec quidem uel maxime quod stulti sunt? miseris enim stulticia, Lucili, qualia uero sint, & ab ultimo reperam si quid possumus dicere? deinde, quod ita multa sunt in periorum incommoda in uita, ut ea sapientes commodorum

compensatione leniant, stulti nec uitare uenientia possint, nec ferre praesentia. Qui uero mundum ipsum animantem, sapientemq; esse dixerunt, nullo modo uiderunt animi naturam, intelligentes inquam figuram cadere posset: de quo dicam paulo post. nunc autem haecenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem, & eundem beatum, & rotundum esse uelint, quod ea forma nullam neget esse pulchriorem Plato. at mihi uel cylindri, uel quadrati, uel conici, uel pyramidis uideatur esse formosior. Quae uero uita attribuitur isti rotundo deo? nempe ut ea celeritate contorqueatur, & luminibus, tamquam aedilis, ornare? si, ut dicitur, cui par nulla ne cogitari quidem possit: in qua, deus ipse melius habitaret: ante a uidelicet tempore non uideo, ubinam mens constans, & uita beata posset infinito in tenebris, tamquam in gurgustio, habitare posset insistere. quodq; in nostro corpore si minima exuerat. Post autem, uarietate ne eum delectari parte significetur; molestum sit; cur hoc idem non tamus, qua caelum & terras exornatas uidemus? ob habeatur molestum in deos terra enim profecto, quod quae ista potest esse oblectatio deo? quae si esset, non in pars mundi est, pars est etiam dei. at qui terras ea tam diu carere potuisset. An haec, ut fere dicuntur, maximas regiones inhabitabiles, & atque incultas nitis, hominum causa a deo constituta sunt? sapienter in modum; quod pars earum appulsi solis exarserit, tum ne? propter paucos ergo tanta est facta rerum pars obriguerit nite, pruinaque, longinquo solis abmolitio. an stultorum? at, primum, causa non fuit, quae, si mundus est deus? quoniam partes cur de improbis bene mereretur: deinde, quid est asperitas mundi? dei membra partim ardentia, partim resecutus; cum omnes stulti sint sine dubio miserissimi? frigida dicenda sunt. Atque haec quidem uel maxime quod stulti sunt? miseris enim stulticia, Lucili, qualia uero sint, & ab ultimo reperam si quid possumus dicere? deinde, quod ita multa sunt in periorum incommoda in uita, ut ea sapientes commodorum

EXPLANATIO

PALMARIS? sententia digna palma, siue uictoria. Est autem Epicuri locutio ironica. **SEMPITERNVM?** Plato mundum credidit certo tempore coepisse quidem, sed sempiternum fore dixit. **UT dicitur?** Ut est in prouerbio. **PHYSIOLOGIAM,** Post hanc uocem sequebatur, id est, naturae rationem: quod inuiximus uidentes glossam esse, ab aliquo adiectam, qui Physiologiam interpretaretur. Haec Paullus pater. **QUAE QUAE?** Epicuri argumentatio contra perpetuitatem mundi, quidquid ortum est, non est aeternum, sed iterum aliquando interit, Mundus est ortus secundum Platonem, Igitur non est aeternum. **COAGMENTATIO?** Compositio. **Πρόνοια uero?** Refutatio Prouidentiae Stoicorum. **DESIGNATIONEM?** modulum. **SIN alia?** alterius naturae. **EXISTENT?** apparuerit ad aedificandum mundum. **INNUMERABILI saecula?** Finem, siue terminum, qui continet tempus, siue motum uitae cuiuslibet rei uiuae, antiqui dixerunt esse saecula illius rei. Et secundum hunc modum caelum finiens, & continens totum tempus perpetuum dicitur saecula saeculorum. Hinc Aristoteles, de Caelo agens libro primo, inquit, Vita illic est semper permanens, perpetua secundum perpetuitatem saeculi saeculorum, quod non habet finem. A Graecis *αἰών* dicitur, hoc est semper existens. **SED fuit?** Aperit mentem suam de saeculis, atque temporibus. **CIRCUMSCRIPTIO?** mensuratio, comprehensio. **ISTO igitur tam?** Epicuri argumentum contra Stoicam prouidentiam, Si est prouidentia, non est otiosa, sed ante mundum conditum fuit, otiosa, Igitur non est prouidentia. **CESSAVERIT?** otiosa fuerit. **NEC erat ullus?** scilicet, labor. **OMNES naturae?** omnes uires feminariae. **CAELVM?** sublimis aer, ambies omnia. **QUAE autem erat?** de consilio, seu causa finali condendi mundi a Deo. **MUNDVM?** uniuersam naturam. **SIGNIS,** quibusdam impressionibus quasi characteribus ut est nia lactea, Et **luminibus?** altis luculentibus, ceu lumina. **TAMQVAM aedilis?** Ita apud Romanos uocabatur is, qui templa ornabat, & spectacula. **GURGUSTIO?** habitatione angusta: ita Pompeius exposuit. **FERE?** quasi omnes, idem in Catone: Me mini in illum sermonem incidere, qui ferme erat in ore. **BENEMERETVR?** confert beneficia? in eos, qui indigni sunt. **COMMODOVM?** uitutem, quae bona sunt sapientum. **FERRE?** aequo animo tolerare. **QUAE uero?** deridet eos, qui mundo animam dederunt. **INTELLENTES?** quod intelligerent. **DE quo?** nempe de forma apta animae recipiendae. **HACTENVS?** in hac saltem parte. **TARDITATEM?** hebetudinem. **ET rotundum esse uelint?** Mundi figura rotunda impugnatur. **CYLINDRI,** is habet rotunditatem in longitudine, ut est columna. **QUADRATI,** Quadratum quatuor habet latera, & aequales angulos quatuor. **CONICI?** Conus rotunditatem habet fastigiatam, sine lateribus, quales sunt fructus arboris pinus. **PYRAMIDIS,** Pyramis est moles quadrangulatis, in acutum asurgens. **CONTORQUEATUR?** rotetur, conuoluetur. **IN qua non uideo?** Ita arguit Velleius, Motus, siue conuertio celerissima impedit collectionem. Deus conuertitur in aestimanda celeritate secundum Platonem. Igitur nulla est constans, & beata uita. **MENS constans?** tranquilla, sedata, secura, immobilis. **INSISTERE,** quiescere. **SIGNIFICETVR?** imprimatur quasi signis aut characteribus: ut paullo supra dictum est. **TERRA enim?** absurda, ex dato inconuenient. **INCULTAS?** desertas.

fertat. *APVLSV* & accessu. *QUALIA* & cuius naturae. Ab *ultimo superiorum* & ab ultimo elementorum, quae paullo supra enumeravit hoc ordine, Caelum, ignes, terrae, maria, quare dicit, se primo de aqua quaesitum, quam Thales Milesius, cum de ea quaesivisset, dixit esse initium rerum. Homerus etiam Oceanum vocat deorum, atque hominum patrem.

C I C E R O

THALES enim Milesius, qui primus de talibus rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum; Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Si dii possunt esse sine sensu, & mente; cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest uacans corpore? Anaximandri autem opinio est, nativos esse deos, longis interuallis orientes, occidentesque, eoque innumerabiles esse mundos. sed nos deum, nisi sempiternum, intelligere qui possumus? Post Anaximenes aera deum statuit, eumque, gigni, esseque immensum, & infinitum, & semper in motu. quasi aut aer sine ulla forma deus esse possit, cum praesertim deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie esse deceat; aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur. Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum descriptionem, & modum mentis infinitae uis, ac ratione designari, & confici uoluit. in quo non uidit, neque motum sensui coniunctum & continentem in infinito ullum esse posse, neque sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret. deinde, si mentem istam quasi animal aliquod esse uoluit; erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur. quid autem interius mente? cingitur igitur corpore externo. quod quoniam non placet; aperta simplexque mens, nulla re adiuncta, quae sentire possit, fugere intelligentiae nostrae uim & notionem uidetur. Crotoniates autem Alcmaeo, qui soli, et lunae, reliquisque sideribus, animoque praeterea diuinitatem dedit, non sensit sese mortalibus rebus immortalitatem dare. Nam Pythagoras, qui consuit animum esse per naturam rerum omnem intentum, et commean-tem, ex quo nostri animi caperentur, non uidit detractione humanorum animorum discerpi, & dilacerari deum; & cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum dei partem esse miseram: quod fieri

non potest. cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset deus? quo modo porro deus iste, si nihil esset, nisi animus, aut infusus, aut infusus esset in mundo? Tum Xenophanes, qui, mente adiuncta, omne praeterea, quod esset infinitum, deum uoluit esse, de ipsa mente ita reprehenditur, ut ceteri; de infinitate autem uehementius, in qua nihil neque sentiens, neque coniunctum esse potest. Nam Parmenides commenticium quidam coronae similitudine efficit: Stephanem appellat, continentem ardore lucis orbem, qui cingit caelum, quem appellat deum, in quo neque figuram diuinam, neque sensum quicquam suspicari potest. multaque eiusdem monstra, quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem, ceteraque generis eiusdem ad deum reuocat: quae uel morbo, uel somno, uel obliuione, uel uetustate delentur. eademque de sideribus, quae reprehensa iam in alio, in hoc omittantur. Empedocles autem, multa alia peccans, in deorum opinione turpissime labitur. quattuor enim naturas, ex quibus omnia constare uult, diuinas esse censet: quas et nasci, & exstingui perspicuum est, et sensu omni carere. Nec uero Protagoras, qui sese negat omnino de dijs habere quod liqueat, sint, non sint, quales ue sint, quidquam uidetur de natura deorum suspicari. Quid Democritus? qui tum imagines, earumque circuitus in deorum numero refert; tum illam naturam, quae imagines fundat, ac mittat; tum scientiam, intelligentiamque nostram; non ne in maximo errore uersatur? cum idem omnino, quia nihil semper suo statu maneat, neque esse quidquam sempiternum; non ne deum ita tollit omnino, ut nullam opinionem eius reliquam faciat? Quid aer? quo Diogenes Apolloniatas utitur deo; quem sensum habere potest, aut quam formam dei?

EXPLANATIO

SINE sensu & sine natura sensibili. *CUR aquae adiunxit*, & quasi dicat, Thales, in eo, quod deum aquae adiunxit, uidetur sentire, deum esse non posse sine corpore sensibili, quare dissolubilem deum introducit, non autem sempiternum. **SED nos** & scilicet Epicurei, nam horum sectam tuetur Velleius. **QUO** & quo modo. **INFINITUM** & incomprehensum. **QUASI aut aer** & Ex Epicureorum sententia, qui ex omnibus formis humanam tamquam pulcherrimam attribuit deo. Velleius negat aerem, cum nullam habeat formam, esse posse deum, ut opinatus est Anaximenes. **CONSEQUATUR** & quoniam omnia orta consequenter occidere cognoscimus. **DISCIPLINAM** & de deo, cuiusmodi sit. **OMNIVM rerum** & uniuersae naturae. **DESCRIPTIONEM, & modum** & ambitum, & mensuram. **MENTIS infinitae uis** & efficacia intellectus omnia comprehendit. **AC ratione** & discursu. **IN quo non uidit** & In qua sententia de diuina mente, non perspexit. **NEQUE motum sensui coniunctum** & discursum illum non esse de re sensibili. **ET continentem** & descriptionem, & modum. **IN infinito** & in mente, quam infinitam esse dicit. **NEQUE sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret** & Neque inquit, animaduertit, id omnino non posse esse sensibile, quo anima non sentiret, si pulsaretur. Quod petinde est, ac si dicat Velleius, Non potest igitur aliquo modo Anaxagoras ponere, mentem simplicem, nulla re adiuncta, quae sentire possit. **QUOD** & quae consequentia a nobis facta. **QUONIAM non placet**; & Anaxagorae scilicet. **QUAE sentire possit**, & ut uult ipse Anaxagoras. **NOTIONEM** & quae sensibus innitur. **CROTONIATES Alcmaeo**, & Pythagoricus fuit e Crotone clara quondam Calabriae urbe, sita ad mare. eodem lapsu cum Thalete simplicissimam mentem speculatur in mistis. **PYTHAGORAS** & hic Sarnius fuit, ut alibi.

PER

PER omnem naturam ꝛ per omnes res, ortui, atque casui obnoxias. INTENTVM ꝛ inclusum, immistum. NOSTRI ꝛ humani. INFVSVS ꝛ immistum, cum animus nullum habeat corpus. XENOPHANES ꝛ Colophonius fuit. De eodem Cicero in Lucullo ita scribit: Xenophanes, unum omnia, neque id esse mutabile, & id esse deum neque natum usquam, & sempiternum conglobata figura. REPREHENDITVR ut ceteri, ꝛ qui mentem, quam speculabantur in mistis, dixerunt esse posse sine corpore. DE infinitate ꝛ de ui mentis incomprehensae, & abstractae a sensibilibus. VEHEMENTIVS, ꝛ quia in infinitate nihil est sentiens, neque coniunctum esse potest, quemadmodum paullo superius dictum est, cum de Anaxagorae sententia ageretur. PARMENIDES ꝛ Italus fuit, ex Elea, urbe Lucaniae. COMMENTICIVM ꝛ confictum, ut potius dere arti subiecta, quam de diuino opificio locutus uideatur. STEPHANEM ꝛ Stephane Graece montis uerticem significat. Stephanos uero coronam. CONTINENTEM orbem, ꝛ supremum ambitum, quem alii mentem infinitam dixerunt. ARDORIS ꝛ subaudi, praeditum, uel ornatum, quem ardorem efficaciam & uim mentis infinitae nominauit Anaxagoras. QVEM ꝛ supremum orbem, lucis ardore ornatum. EMPEDOCLES ꝛ Hic quattuor elementa constituit rerum principia, quae etiamsi diuina appellerent, non iccirco tamen sunt deus ipse. IN quo ꝛ In qua Parmenidis sententia de deo. MULTA Q. eiusdem monstra ꝛ hoc est, sunt etiam alia multa eiusdem Parmenidis inepte deo attributa. IN alio ꝛ in Alcmaeone, qui sideribus diuinitatem dedit. IN hoc ꝛ Parmenide reprehendendo. EMPEDOCLES ꝛ Hic Agragantinus fuit, de quo Lucretius,

quorum

Agragantinus cum primis Empedocles est,

Insula quem triquetris terrarum gessit in oris. &c.

LABITVR ꝛ in errorem. QUATTUOR naturas ꝛ quattuor elementa, ex quibus constant quaecumque oriuntur, & intereunt. PROTAGORAS, Abderites. QVOD liqueat ꝛ quod clarum, & certum sit. QUID QVAM su spicari. ꝛ nec minimam suspicionem habere: Verebatur impius Atheniensium cicutam. DEMOCRITVS ꝛ Abderites fuit, ut alibi non semel dictum est. Hic parum sibi ipsi constans, nunc astra, eorumque orbis referunt deorum numerum: nunc quandam uim, quae in corporea natura, motui scilicet obnoxia, perficiat astra, atque naturali lege dirigat illa ad actiones suas: nunc uero hominum notionem, & intelligentiam, diuinam esse dicit. DIOGENES Apolloniates ꝛ ex Apollonia urbe Illyrica, quae nunc Valloria dicitur. SENSVM ꝛ iudicium, & cognitionem sensitiuam, quae est per corpus naturale. FORMAM dei ꝛ Deo dignam.

C I C E R O

I AM de Platonis inconstantia longum est dicere: qui in Timaeo, patrem huius mundi nominari, negat, posse; in legum autem libris, quid sit omnino deus, inquiri oportere non censet. quod uero sine corpore nullo deum uult esse, ut Graeci dicunt, ἀσώματος id quale esse possit, intelligi non potest. careat enim sensu, necesse est, careat prudentia, careat uoluptate: quae omnia una cum deorum notione comprehendimus. Idem & in Timaeo dicit, & in legibus, & mundum deum esse, & caelum, & astra, & terram, et animos, & eos, quos maiorum institutis accepimus: quae & per se sunt falsa perspicue, & inter sese uehementer repugnantia. Atque etiam Xenophon paucioribus uerbis eadem fere peccat: facit enim in his, quae a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem, formam dei quaeri non oportere, eundemq. & solem, & animam deum dicere, & modo unum, tum autem plures deos. quae sunt isdem in erratis fere, quibus ea, quae de Platone dicimus. Atque etiam Antisthenes in eo libro, qui physicus inscribitur, populares deos multos, naturalem unum esse dicens, tollit uim & naturam deorum. Nec multo secus Speusippus, Platonem auunculum subsequens, & nim quandam dicens, quae omnia regantur, eamq. animalem, euellere ex animis cognitionem deorum. Aristoteles quoque in tertio de philosophia libro multa turbat, a magistro Platone uno dissentiens. modo enim menti tribuit omnem diuinitatem; modo mundum ipsum deum dicit esse; modo quandam aliam praeficit mundo; eiq. eas partes tribuit, ut replicatione mundi quadam motum re-

gat, atque tueatur. tum caeli ardorem deum dicit esse, non intelligens, caelum mundi esse partem; quem alio loco ipse designarit deum. quo modo autem caeli diuinus ille sensus in celeritate tanta conseruari potest? ubi deinde illi tot dii, si numeramus etiam caelum deum? cum autem sine corpore idem uult esse deum, omni illum sensu priuat, & prudentia, quo potero modo mundus moueri potest carens corpore? aut quo modo, semper se mouens, esse quietus, & beatus potest? Nec uero eius condiscipulus Xenocrates in hoc genere prudentior in cuius libris, qui sunt de naturis deorum, nulla species diuina describitur. deos enim octo esse dicit; quinque eos, qui in stellis uagi nominantur; unum, qui ex omnibus sideribus, quae infixae caelo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus deus; septimum solem adiungit, octauamq. lunam, qui quo sensu beati esse possint, intelligi non potest. Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides paucioribus fabulis referit libros. & tamen modo mundum, tum mentem diuinam esse putat: errantibus etiam stellis diuinitatem tribuit, sensuq. deum priuat, & eius formam mutabilem esse uult: eodemq. libro rursus terram, & caelum refert in deos. Nec uero Theophrasti inconstantia ferenda est: modo enim menti diuinum tribuit principatum, modo caelo, tum autem signis, sideribusq. caelestibus. Nec audiendus eius auditor Strato, is, qui physicus appellatur; qui omnem nim diuinam in natura sitam esse censet, quae causas gignendi, augendi, minuendi ue habeat, sed careat omni sensu, & figura.

EXPLA-

EXPLANATIO

INCONSTANTIA ꝛ uarietate, fluctuatione. **NOMINARI** ꝛ Platonis uerba haec sunt: Opificem quidem, & patrem mundi inuenire difficile, & cum iam inuenieris praedicare, ac eloqui uulgo impossibile est. **INQUIRI** ꝛ diligenter, & curiose inuestigari. **SINE corpore ullo** ꝛ Aut hoc uidetur abundare, aut illud, Vt Graeci dicunt *ἀσώματων*. alioqui esset, ut ego quidem sentio, inepta satis, minimeq. necessaria interpretatio. **INTELIGI non potest** ꝛ ita paullo supra contra Anaxagoram: Aperta, simplexq. mens, nulla re adiuncta, quae sentire possit, fugere intelligentiae nostrae uim & notionem uidetur. **CAREAT uoluptate**: ꝛ suspectum est mihi uerbum Voluptate, & eo magis, quod paullo post non nominatur in deo uoluptas, & tantum sensus & prudentia, quamquam hic, praeter sensum, & prudentiam, tertium aliquid requiri, ex eo liquet, quia sequitur, Quae omnia. nam de duobus, Omnia, non dicitur. **Et astra**, ꝛ Platonis uerba haec sunt: Itaque omnibus his de causis opifex deus mundum beatum deum effecit: astra etiam erroris expertia, quae diuina animalia sunt: terram autem altricem nostram esse uoluit, necnon primam antiquissimamq. deorum omnium, qui intra caelum geniti sunt: ceterorum uero, qui daemones appellantur, & cognoscere, & enunciare ortum maius est opus, quam ferre nostrum ualeat ingenium. Priscis itaque uiris hac in re credendum est, qui dijs geniti, ut ipsi dicebant, parentes suos optime nouerunt. **REPUGNANTIA**. ꝛ contraria. nam mortalibus diuinitatem attribuit, & tamen uult deum esse posse sine corpore. **FACIT** ꝛ inducit. **In ijs quae a Socrate dicta retulit**, ꝛ nempe in libris quattuor, qui inscribuntur, De dictis, & factis a Socrate memoratu dignis. **Et solem, & animam deum dicere** ꝛ sunt, qui uocem Graecam, *ἥλιος*, quae solem significat, ex hebraea, *El*, quae deum designat, factam esse dicant; sed ij Deum creatorem in creaturam transformare, uidentur. **ERRATIS** ꝛ lapsibus, & falsis opinionibus quales Platonicae sunt. **ANTISTHENES** ꝛ hic Atheniensis fuit. **POPULARES** ꝛ populorum institutis consecratos. **EAMQ. animalem**, ꝛ uim omnia regentem, cum dicat esse animalem, hoc est, sentire posse. **EVELLERE** ꝛ extirpare. **Ex animis** ꝛ quos Epicurei sensibili corpore circumdant: cum nequeant persuaderi animam siue corpore sensibili posse constare, & sentire. **In tertio de philosophia libro** ꝛ Aristoteli deus est *θεός*: *θεός τῶν πάντων προγενέστατος*, mens diuina omnium antiquissima, hanc uocat etiam primum mouens, seu causam siue principium primum, a quo omnia procedant, & in quo unice acquirendum sit. In lib. de mundo asseruerat deum omnia creauisse, eademq. etiamnum gubernare, & seruare, nec per ministros instar magni Persarum regis mundum administrare, sed uirtute sua praesentem rebus cunctis adesse. **VNO** ꝛ una re: in ceteris enim dicebat idem, quod Plato. **MENTI** ꝛ ambitu suo intelligenti, & complectenti. **QUENDAM alium praeficit mundo** ꝛ hoc est, Aristoteles praeter omnem diuinitatem, quam (ut Plato uult) ipsa mens ambitu suo complectitur, alium quoque deum esse censuit, quem etiam mundo praeficit. Ad huius rei intelligentiam prodesset poterunt, quae in Tusc. I. sic leguntur: Aristoteles, longe omnibus (Platonem semper excipio) praetans & ingenio, & diligentia, cum quattuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens, cogitare enim, & providere, & discere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia meminisse; amare, odisse; cupere, timere; angere, laetari; haec, & similia eorum, in horum quattuor generum nullo inesse putat: quintum genus adhibet uacans nomine, & scipsum animam *ἰντελεχίαν* appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem, & perennem. **EAS partes** ꝛ eam prouinciam, & curam. **REPLICATIONE** ꝛ reuolutione. **ARDOREM** ꝛ ignem. **CAELVM** ꝛ quo omnia complexus est. **MUNDI esse partem**; ꝛ siquidem eo complexu omnia unum sunt, quod est maximum illud antiquorum chaos. **DESIGNAVERIT** ꝛ descriperit esse deum. **DIUINVS ille sensus** ꝛ deus ille rector mundani motus, cui Aristoteles adiecit corpoream naturam, in qua exercet sensus. **TANTA** ꝛ tam magna. hoc ideo dicit, quoniam Epicurei diuinam hanc naturam opinabantur otiosam, quietam, & feriatam. **VBI** ꝛ in quo loco. **SENSVS priuat** ꝛ quia in corpore exercentur sensus, & ea omnia, quae paullo supra relata sunt ex Tusc. I. **XENOCRATES** ꝛ fuit Chalcedonius, & ipse Platonis discipulus. **In hoc genere** ꝛ opinandi de natura deorum. **Nec prudentior** ꝛ in sensibili corpori prudentiam exerceri paullo supra dixit Velleius: prudentia igitur caruisse uidetur Xenocrates, qui dijs, quos octo esse censebat, non adiunxerit sensibilem naturam, in qua beati esse possent, & intelligi beati cum in sensuum uoluptate Epicurei statuunt summum bonum. **QUINQUE eos, qui in stellis uagis** ꝛ Saturno, Ioue, Marte, Venere, Mercurio. **REFERSIT** ꝛ repleuit. **TVM** ꝛ modo, interdum. **SENSVSQ.** ꝛ sensibili natura corporea. **FORMAM** ꝛ speciem, effigiem, imaginem. **MUTABLEM** ꝛ uariabilem. puerile est, inquit, dicere uariabilem, quem constituas absque natura corporea, in qua spectari & sensu cognosci possit uariabilis. **In deus** ꝛ in numerum deorum, qua in re etiam inconstantiae argui potest. **INCONSTANTIA** ꝛ leuitas, fluctuatio. **SIGNIS** ꝛ Imaginibus stellarum in caelo notatis, atque Zodiaco, quem Latine signiferum dicimus. **STRATO** ꝛ Is Lampfacenus fuit, & phisicus, ideo dictus, quoniam prae ceteris uersatus est in speculatione naturae sensibilis. **QVI omnem uim diuinam in natura** ꝛ Strato credit deum non esse essentiam secretam a creaturis, sed concretam, seu infusam, toti naturae uim, qua omnia agitentur. In hac opinione multi fuere philosophi, ut Pythagoras, cuius sententiam sic exprimit Virgil. in vi. Aeneid.

totamq. infusa per artus

Mens agitat molem & magno se corpore miscet.

Putarunt enim deum esse animam mundi, & mundum, omnesq. eius partes esse corpus, & membra dei. **SEP**

B

careat

careat omni sensu; ac si dicat, Ideo non audiendus est strato, quia cum neget in deo sensum, necesse est ut neget prudentiam, neget & uoluptatem, quae omnia una cum deorum notione comprehendimus.

C I C E R O

ZENO autem (ut iam ad uestros, Balbe, ueniam) naturalem legem diuinam esse censet, eamque uim obtinere recta imperantem, prohibentemque contraria. quam legem quo modo efficiat animantem, intelligere non possumus: deum autem animantem certe uolumus esse. atque hic idem alio loco aethera deum dicit: si intelligi potest nihil sentiens deus, qui numquam nobis occurrit neque in precibus, neque in optatis, neque in uotis. Alijs autem libris rationem quandam per omnem pertinentem naturam, ut diuinam, esse affectam putat. Idem astris hoc idem tribuit, tum annis, mensibus, annorumque mutationibus. cum uero Hesiodi theogoniam interpretatur, tollit omnino insitas, perceptasque cognitiones deorum: neque enim Iouem, neque lunonem, neque Vestam, neque quemquam, qui ita appelletur, in deorum habet numero; sed rebus inanimatis, atque mutis per quandam significationem haec docet tributa nomina. Cuius discipuli Aristonis non minus magno in errore sententia est; qui neque formam dei intelligi posse censet; neque in dijs sensum esse dicat; dubitetque omnino, deus animans, nec ne sit. Cleanthes autem, qui Zenonem audiuit una cum eo, quem proxime nominauimus, tum ipsum mundum deum dicit esse; tum totius naturae menti, atque animo hoc nomen tribuit; tum ultimum, & altissimum, atque undique circumfusum, & extremum, omnia cingentem, atque complexum ardorem, qui aether nominetur, certissimum deum iudicat. Idem, quasi delirans, in ijs libris, quos scripsit contra uoluptatem, tum fingit formam quandam, & speciem deorum; tum diuinitatem omnem tribuit astris; tum nihil ratione censet esse diuinum. Ita fit, ut deus ille, quem mente noscimus, atque in animi notione, tamquam in uestigio, uolumus reponere, nusquam prorsus appareat. At Perseus, eiusdem Zenonis auditor, eos dicit esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad uitae cultum esset inuenta; ipsasque res utiles, & salutare deorum esse uocabulis nuncupatas: ut ne hoc quidem diceret, illa inuenta esse deorum, sed ipsa diuina. quo quid absurdius,

quam aut res sordidas, atque deformes deorum honore afficere; aut homines, iam morte deletos, reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu? Iam uero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum uaserrimus habetur interpret, magnam turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne coniectura quidem informare possimus: cum mens nostra quiduis uideatur cogitatione posse depingere. ait enim, uim diuinam in ratione esse positam, & uniuersae naturae animo, atque mente: ipsumque mundum deum dicit esse, & eius animi fusionem uniuersam: tum eius ipsius principatum, qui in mente & ratione uersetur, communemque rerum naturam uniuersam, atque omnia continentem, tum fatalem umbram, & necessitatem rerum futurarum: ignem praeterea, & eum, quem antea dixi, aethera: tum ea, quae natura fluere, atque manarent, ut aquam, & terram, & aera, solem, lunam, sidera, uniuersitatemque rerum, qua omnia continentur, atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti. Idemque disputat, aethera esse eum, quem homines Iouem appellarent; qui, aer per maria manaret, eum esse Neptunum: terram, eam, quae Ceres diceretur. simili ratione prosequitur uocabula reliquorum deorum. idemque etiam legis perpetuae, & aeternae uim, quae quasi dux uitae, & magistra officiorum sit, Iouem dicit esse: eandemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum ueritatem. quorum nihil tale est, ut in eo uis diuina inesse uideatur. Et haec quidem in primo libro de natura deorum: in secundo autem uult Orphei, Musaei, Hesiodi, Homerique fabellas accommodare ad ea, quae ipse primo libro de dijs immortalibus dixerit: ut etiam ueterum poetae, qui haec ne suspicari quidem sint, Stoici fuisse uideantur. quem Diogenes Babylonius consequens in eolibro, qui inscribitur de Minerua, partum Iouis, ortumque uirginis ad physiologiam traducens, disungit a fabula.

EXPLANATIO

ZENO? fuit Cyprius, ex urbe Citio, unde Citieus princeps Stoicorum. hic quoque effectum pro causa habuit, ignorans alium deum praeter rationis humanae qualecumque lumen & dictamen facienda, & non facienda demonstrans. NATURALEM legem diuinam &c. ? Censet Zeno naturalem legem esse diuinam uim corporea natura comprehensam, & in eadem imperantem recta, & prohibentem contraria, ipsamque naturam, hoc est essentiam corpoream appellat legem. Sed quamuis Zeno diuinam uim induit natura corporea, non perinde sequitur, ut induat eam corpore sensibili siue pulsabili: quod tamen illi tribuendum censent Epicurei. non enim cognoscunt uim diuinam nisi sensibili corpori adiunctam, ut in ipso exaudire possit sensibilem preces. cum similia similibus congregiantur. AETHERA? ardentem aera. Si intelligi potest? deridet opinionem Zenonis, ac si dicat, non posse intelligi deum illum qualecumque statuatur, nisi sentiat, & sensibilis sit: quia eiusmodi deus nihil sentiens non concipitur in animo, cum ad deum preces effundimus, optantes ab eo aliquid, aut uouentes promittimus ei aliquid: frustra enim deprecaremur non exaudientem. RATIONEM? uersatilem scientiam diffusam per ubi con-

bi conuenientem naturam, a qua perfecte detinetur, & in ea moderatur omnia; imperando scilicet recta, & prohibendo contraria. Vt autem eam rationem putat esse diuinam, ita & affectam putat qualitatibus naturalibus. Vt diuinam, esse affectam putat; Vt diuina esse affectam putat, & apertius esset, & ut puto, uerius, nec infigni tamen mutatione. Haec Paullus pater. **ASTRIS hoc idem tribuit** & nempe qualitates naturales motui obnoxias, quas alibi tribuit etiam rationi. **THEOGONIAM, id est originem deorum** & Hic quoque glossa fuit: nam illud, Id est originem deorum, quis nō uidet adscriptum fuisse, ut Theogoniae significatio ostenderetur: qua ratione adducti deleuimus, eo libentius, quod quibusdam in antiquis libris expositio illa non est. Haec Paullus pater. **VSITATAS, perceptas cognitiones.** Rectius, quod reposui, Infitas, perceptasq. cognitiones. nam & in Maffei libro ita legitur: & infra etiam, Infitas, dixit, deorum cognitiones habemus. Et alibi non semel. Atque etiam Lucretius, Vnde (inquit libro 5.) Infitas notities est Vtilitatis. Haec Paullus pater. **TOLLIT infitas, perceptasq. cognitiones deorum:** remouet omnia, quae sensibilem nobis cognitionem deorum exhibere possint, cum sensibiles deos non recenseat in numero deorum. **PER quandam significationem,** & informationem. **ARISTONIS** & Is fuit Ceius, siue Cius, a Cea insula prope Euboeam, & a Zenone persuasus, posse per naturam uniuersam inferi, & tolli rebus insensibilibus animantes deos, non solum abstulit ea, per quae illos sentire possemus, sed ea quoque, per quae intelligere: censuit enim deos proprie esse sine forma, & sensu: omninoq. dubitauit, an deus animans habeat essentiam. **DEVS animans** & cuius est insensibile pulsando animante. **CLEANTHES** & Is fuit ex Assō, Troadis urbe, & Zenonis successor in schola, & disciplina Stoica. **CVM eo** & cum Aristone. **TVM** & modo, interdum, aliquando. Arguitur Cleanthis inconstantia. Is enim mundum appellat deum: alibi diuinum nomen animo tribuit, atque menti, sempiternae scilicet naturae, quae ambit omnia, alibi uero extremum ipsum omnia cingentem circulum, atque complexum ardorem, Ignitum scilicet aethrem, qui etiam aether dicitur, certissimum deum esse iudicat. Idem etiam differens contra uoluptatem, fingit deorum speciem quandam. Praeterea diuinitatem omnem attribuit astris. Demum nihil ratione censet diuini. In hoc autem Anaxagoras delirare uidetur, inquit Velleius, quod ubique statuit deum, qui tamen nusquam apparere possit. Epiphonema est, commonefaciens Lectorem de horrenda, & miseranda caligine mentium humanarum. **IN animi notione,** & in mente. **TAMQVAM in uestigio** & in ambiente circulo. **REPONERE,** & collocare, ut certam & ueram dei notionem habeamus. **AT Perseus,** & Perseus Citieus popularis Zenonis auditor fuit. Hic quoque effectus dei bonos pro ipso deo posuit. **CVLTVM,** & ornatum, & utilitatem. **ABSURDVS** & ineptius, inconuenientius, rationi non consonans. **SORDIDAS** & abiectas. **DEFORMES,** & turpes. **HOMINES iam morte deletos** & Errores de morte deorum & hominum post mortem in deos relatione saniores prisci refutarunt. Epimenides pie inquit:

Κρητες δει ψευτε, και τον τασον ο δυνασειο
Κρητες ετεκτινανο, ουδ ου θανες, εατι γη αιει.

Cretenses semper mendaces, quia sepulcrum, o rex, tuum, Cretenses fabricarunt, tu uero non es morti obnoxius, sed semper uiuis. **IN deos** & in deorum numerum. **CVLTVS** & conueniens ueneratio. **IN luctu:** & nam mortuorum cultui nil magis conuenit, quam lacrymae. **CHRYSIPPVS** & Is fuit Solensis. **SOMNIORVM** & uanarum opinionum de natura deorum: talem enim illis tribuit naturam, quae, ceu somniantium uisa, nullam habeat realem subsistentiam, & firmitatem. **VAFERRIMVS interpret** & enarrator acerrimus, ac uersatilis. **MAGNAM turbam** & Varro supra triginta millia commenticiorum numinum meminit. **IGNOTORVM deorum** & infimi, & obsecuti generis. **CONNECTVRA** & ratiocinatione, collatione uestigiorum, quae de illis dijs nobis obtulit Chrysippus. **INFORMARE** & a deformitate ad formam traducere. **CVM** & etiam si. **VIM diuinam** & suam uim. **IN ratione** & recta scilicet, ad bonum tendente. **ESSE positam** & esse infitam. **ET uniuerso naturae animo** & in animo diffuso per uniuersam naturae molem. **ATQVE mente** & intelligentia, supremo scilicet circulo, cetera iam dicta ambiente. **IPSVMQ. mundum** & ipsamq. uniuersam naturam animatam. **ET eius animi fusionem uniuersam** & ipsum animum fufum per uniuersam naturam. **TVM** & aliquando, inquit, congregat. **EVS ipfius** & animi, scilicet. **PRINCIPATVM** & uim. **QVI in mente, & ratione uersetur,** & qui animus in supremo ambitu principatum gerat, & ad bonum ratione quadam dirigat. **CONTINENTEM** & quasi glutino, & constantia quadam. **TVM** & aliquando etiam congregat. **FATALEM umbram & necessitatem, &c.** & Ita nominare uidetur Chrysippus irrationalem motum. **QVEM antea dixi, aethera:** & Supremum ambitum, ex quo & igne fit aether, de quo supra dictum est. **NATVRA** & sponte, naturali motu fluere. **ATQVE manerent,** & constanter perseverarent, ut Terra. **VNIVERSITATEM rerum** & caelumq. **OMNIA continerentur** & omnis mundus comprehenderetur. **IDEMQ. disputat** & scilicet, Chrysippus disputando asserit. **MANARET** & sublaberetur. **SIMILIQ. ratione** & pari modo. **PERSEQVITVR** & subaudi declarare, interpretari. **OFFICIORVM** & honestarum actionum. **EANDEMQ.** & uim legis perpetuae, & aeternae, quae, &c. **VETERRIMI** & antiquissimi. **SUSPICATI** & leuiter opinati. **STOICI fuisse uideantur** & E stomacho dicit hoc Velleius. **DIODENES Babylonius** & Hic Diogenes Stoicus e Seleucia fuit, attamen propter uiciniam Babylonius dictus est. **ORTVM louis, partumq. uirginis** & Dicunt fabulae, Vulcanum securi caput louis dissecuisse, indeq. exsiliisse puellam armatam, quae Minerva inuentrix artium dicitur. Fabula indicat, Iouem, qui diuinus est animus, inferioribus prospiciens, sapientiam in se abditam habere, quae de potentia ad actum deduci nullo modo possit, sine instrumentis congruis: iccirco Vulcania securi, nimirum recta ratione qua si Lucina de tenebris ad lucem deducta est. **PHYSIOLOGIAM** & naturalium rerum sermonem. **DISINGIT a fabula** & ostendens non esse fabulam, sed naturae opus.

C I C E R O

EXPOSVI fere non philosophorum iudicia, sed de
 lirantium somnia. nec enim multo absurdiora
 sunt ea, quae poetarum uocibus fusa, ipsa suauitate
 nocuerunt: qui & ira inflammatos, & libidine furen-
 tes induxerunt deos; feceruntque ut eorum bella, pu-
 gnas, proelia, uulnera uideremus, odia praeterea, dis-
 sidia, discordias, ortus, interitus, querellas, lamētatio-
 nes, effusas in omni intemperantia libidines, adulte-
 ria, uincula, cum humano genere concubitus, morta-
 lesque ex immortalibus procreatos. Cum poetarum au-
 tem errore coniungere licet portenta magorum, Ae-
 gyptiorumque in eodem genere dementia; tum etiam
 uulgi opiniones, quae in maxima inconstantia, uerita-
 tis ignorantia, uersantur. Ea, qui consideret, quam
 inconsulte ac temere dicantur, uenerari Epicurum,
 & in eorum ipsorum numero, de quibus haec quae-
 stio est, habere debeat. solus enim uidit, primum, esse
 deos; quod in omnium animis eorum notionē impres-
 sisset ipsa natura: quae est enim gens, aut quod genus
 hominum, quod non habeat, sine doctrina, anticipatio-
 nem quandam deorum? quam appellat *προληψιν* Epi-
 curus, id est anteceptam animo rei quandam informa-
 tionem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri,
 nec disputari possit. cuius rationis uim, atque utilita-
 tem ex illo caelestis Epicuri de regula, & iudicio uolu-
 mine accepimus. Quod igitur fundamentum huius
 quaestionis est, id praeclare iactum uidetis. cum enim
 non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio con-
 stituta; maneatque ad unum omnium firma consensus:
 intelligi necesse est, esse deos, quoniam iustas eorum,
 uel potius innatas cognitiones habemus. de quo autē
 omnium natura consentit, id uerum esse necesse est.
 esse igitur deos, consistendum est. quod quoniam fere
 constat inter omnes non philosophos solum, sed etiam
 indoctos: fateamur constare illud etiam, hanc nos ha-
 bere siue anticipationem, ut ante dixi, siue praeno-
 tionem deorum. sunt enim rebus nouis noua ponenda
 nomina, ut Epicurus ipse *προληψιν* appellauit, quā
 antea nemo eo uerbo nominarat. hanc igitur habemus,
 ut deos beatos, & immortales putemur. quae
 enim nobis natura informationem deorum ipsorum

dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos aeternos,
 & beatos haberemus. quod si ita est; uere exposita il-
 la sententia est ab Epicuro; quod aeternum, beatissimum,
 sit, id nec habere ipsum negotij quidquam, nec exhibere
 alteri; itaque neque ira, neque gratia teneri;
 quod, quae talia essent, imbecilla essent omnia. Si nihil
 aliud quaereremus, nisi ut deos pie coleremus, &
 ut superstitione liberaremur; satis erat dictum. nam
 & praestans deorum natura hominum pietate cole-
 retur, cum & aeterna esset, & beatissima; habet enim
 uenerationem iustam, quidquid excellit: & metus om-
 nis aui, atque ira deorum pulsus esset: intelligitur enim,
 a beata, immortalique natura & iram, & gratiam
 segregari; quibus remotis, nullos a superis impendere
 metus. sed ad hanc confirmandam opinionem inquiri
 rit animus & formam, & uitam, & actionem men-
 tis, atque agitationem in deo. Ac de forma quidem
 partim natura nos admonet, partim ratio docet. nam
 a natura habemus omnes omnium gentium, speciem
 nullam aliam, nisi humanam, deorum. quae enim alia
 forma occurrit umquam aut uigilanti cuiquam, aut
 dormienti? sed, ne omnia reuocentur ad primas notio-
 nes, ratio hoc idem ipsa declarat. nam, cum, praestanti-
 ssimam naturam, uel quia beata est, uel quia semper-
 terna, conuenire uideatur, eandem esse pulcherrimam;
 quae compositio membrorum, quae conformatio li-
 neamentorum, quae figura, quae species humana potest
 esse pulchrioribus quidem, Lucili, soletis, (nam
 Cotta meus modo hoc, modo illud) cum artificium es-
 fingitis, fabricamque diuinam, quam sint omnia in ho-
 minis figura non modo ad usum, uerum etiam ad ue-
 nustatem apta, describere. quod si omnium animan-
 tium formam uincit hominum figura, deus autem ani-
 mans est: ea figura profecto est, quae pulcherrima sit
 omnium. quoniamque deos beatissimos esse constat; be-
 tus autem esse sine uirtute nemo potest, nec uirtus si-
 ne ratione constare, nec ratio usquam inesse, nisi in ho-
 minis figura: hominis esse specie deos consistendum est,
 nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus; nec
 habet sanguinem, sed quasi sanguinem.

EXPLANATIO

FERE quasi omnia. **ABSURDIORA** & irrationabiliora. **POETARVM uocibus** & Poetarum figmenta, &
 argumenta de deorum moribus, & actionibus flagitiosis cōtumeliosa est aduersus deum, & perniciosa mo-
 ribus humanis. **SUAUITATE** & iucunditate numerorum, & cantibus. **PORTENTA** & superstitiones, quas
 quasi uelaturam sapientiae commentum sunt Magi. **MAGORVM** & Qui in physicis essent, sapientes, Magos
 appellabant Persae, apud quos ea sapientia adeo inualuit, ut & regum legibus imperitaret, & nomen ipsum,
 cum sapientia etiam nationes quandoque transire poterit, & remanere. Sunt, qui Magos, quasi Magnos di-
 ci arbitrentur, ob magnitudinem admirabilium, quae ab eiusmodi peritis patrantur. **IN eo genere** & opinandi.
VVLGI & imperitae multitudinis. **INCONSTANTIA** & fluctuatione opinionum. **Ea qui consideret** & Epicu-
 rus, reiectis aliorum opinionibus, suam solius commendat. **INCONSULTE** & absque consilio, imprudenter. **TE-
 MERE** & irrationabiliter. **EORVM ipsorum** & scilicet deorum. **HABERE debeat** & habere tenetur. **SOLVS
 enim uidit** & Epicuri affirmatio de dijs, ex naturalibus notitijs, in mentibus hominum. **ANTICIPATIONEM**
 praenotionem, de qua Laertius in Epicuro, Simul atque homo nominatur, continuo per anticipationem for-
 ma etiam illius intelligitur, praecedentibus ad ducibus sensib. neque enim profecto quaereremus, quod inquiri-
 mus, nisi prius illud nouissemus. **INFORMATIONEM**, & effigiationem. **CAELESTI** & diuino, uerissimo.
FVNDAMENTVM & principium. **Ad unum** & usque ad unum. **INTELLIGI necesse est**, & Confirmatio ex
 causa

caussa efficiente, hoc est, ex communi hominum iudicio, atque consensu. *INSITAS* § infixas. *INNATAS* § connaturales. *FERE constat* § quasi firmum est, & conuenit. *REBUS* § opinionibus, & sententiis. *Eo uerbo* § tali appellatione. *UT deos beatos* § Qualis sit deus secundum Epicurum, nempe aeternus, & beatus. *QVOD aeternum* § Hanc Epicuri sententiam Lucretius persecutus est:

Omnis enim per se diuum natura necesse est

Immortali aeuo summa cum pace fruatur,

Semota a nostris rebus, seiunctaq. longe.

Nam priuata dolore omni, priuata periclis,

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Id nec habere § Ita argumentatur Epicurus, Beatum est quod nihil habet negotij, Deus est beatus, Igitur nihil agit. *NEGOTIUM* § laboris, atque molestiae. *GRATIA teneri* § beneficentia occupari. *TALIA* § gratiosa, & iracunda. *PIE coleremus*, § religiose, pure, uere, & fideliter ueneremur. *SUPERSTITIONE* § uana religio. *ne. SATIS erat dictum*, § ad persuadendum diuinae naturae cultum. *NAM & praestans* § Epicurus cultus dei relinquit, metum aufert. *PIETATE* § puritate animi & corporis. *IUSTAM* § debitam. *IMPENDES* § imminere, ac futuros esse. *OPINIONEM* § quam habemus de ui, & natura deorum. *Ac de forma* § species dei nulla nisi humana secundum Epicurum, quia omnes gentes sic iudicant, quia nulla est alia pulchrior, quia nulla alia ratione, & uirtute praedicta est. *INQUIRIT formam* § In deo effigiem inquiri, & qualitatem uitae, quid in mente agat, quam frequens illius actio. *REVOCENTVR* § reducantur. *PRIMAS notiones* § praenotiones. *COMPOSITIO* § complexio. *CONFORMATIO lineamentorum* § conuenientia ductuum linearum ad conformandum. Metaphora a pictoribus sumpta, quorum imagines superficiem habent planam, nihilq. eminens, atque expressum. *FIGURA* § terminatio ductuum linearum. *SPECIES* § forma spectabilis. *POTEST esse pulchrior?* § Interrogatiue profertur: quasi dicat, nulla. *ARTIFICIUM* § sollertiam. *EFFINGITIS* § describitis, pingitis. *FABRICAMQUE* § opificium, elaborationem. *VSVM*, § utilitatem. *VENUSTATEM* § decorem. *ANIMANS est* § sensibilem materiam pullat, & uiuificat. *PROFECTO est* § subaudi praeditus. *SINE uirtute* § sine animo bene affecto. *SINE ratione* § qua officiorum magistra bene afficitur animus, & eadem duce uersatur in actionibus uirtuosis. *Nec tamen ea species &c.* § Correctio. sensus est, Deorum speciem esse in proxima potentia ad humanam, quae corpore constat, & sanguine: ac si dicat, sicuti numerus a proxime sequenti numero deficit, in figuris uero corpora cubo; atque ut mathematicum corpus deficit a physico; ita & deorum species ad humana: sed in proxima est potentia.

C I C E R O

HAEC quamquam & inuenta sunt acutius, & dicta subtilius ab Epicuro, quam ut quibus ea possit agnoscere: tamen, fretus intelligentia uestra, dissero breuius, quam causa desiderat. Epicurus autem, qui res occultas, & penitus abditas non modo uiderat animo, sed etiam sic tractarat, ut manu, doceret eam esse uim, & naturam deorum, ut primum non sensu, sed mente cernatur, nec soliditate quadam, nec ad numerum, ut ea, quae ille propter firmitatem sepe uia appellat, sed imaginibus similitudine, & tra-sitione perceptis; cum infinita simillarum imaginum species ex innumerabilibus indiuiduis existat, & ad deos affluat, cum maximis uoluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamq. nostram intelligentiam, capere, quae sit & beata natura, & aeterna. Summa uero uis infinitatis, & magna, ac diligenti contemplatione dignissima est: in qua intelligi necesse est, eam esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant. hanc *ισογονίαν* appellat Epicurus, id est aequabilem distributionem. ex hac igitur illud efficitur: si mortalium tanta multitudo sit, esse immortali non minorem: & si, quae interrimant, innumera-bilia sunt, etiam ea, quae conferunt, infinita esse debere. Et quaerere a nobis, Balbe, soletis, quae uita deorum sit, quaeq. ab ijs degatur aetas. ea uidelicet, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus afflu-tius excogitari potest. nihil enim agit: nullis occupa-tionibus est implicatus: nulla opera molitur: sua sapientia, & uirtute gaudet: habet exploratum, fore

se semper tum in maximis, tum in aeternis uoluptatibus. hunc deum rite beatum dixerimus, uestrum uero laboriosissimum. siue enim ipse mundus deus est: quid potest esse minus quietum, quam, nullo puncto temporis intermisso, uersari circum axem caeli admirabili celeritate? nisi quietum autem, nihil beatum est. siue in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum uicissitudines, ordineq. conseruet, terras & maria contemplant, hominum commoda, uitasq. tueatur: nae ille est implicatus molestis negotiis, & operosis. nos autem beatum uitam in animi securitate, & in omnium uacatione munerum ponimus. docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum esse mundum, nihil opus fuisse fabrica, eamq. rem ei esse tam facilem, quam uos negatis effici sine diuina posse sollertia, ut innumerabiles natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit. quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non uideris: ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum. cuius operam profecto non desideratis, si immensam, & interminatam in omnes partes magnitudinem regionum uideretis: in quam se injiciens animus, & intendens, ita late, longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi uideat, in qua possit insistere. in hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita uis innumera-bilium uolitat aeternorum: quae, interiecto inani, cohaerescunt tamen inter se, & aliae alias apprehendē

tes

tes continentur: ex quo efficiuntur hae rerum formae, atque figurae: quas uos effici posse sine foliis, & inuidibus non putatis: itaque imposuistis in ceruicibus nostris sempiternum dominum, quem dies & noctes timeremus. quis enim non timeat omnia pro uidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & ple-

num negotij deum? hinc uobis exstitit primum illa fatalis necessitas, quam *εἰμαρτίῃ* dicitis: ut, quid quid accidat, id ex aeterna ueritate, causarumq. continuatione fluxisse dicatis. quanti autem philosophia aestimanda est, cui, tamquam aniculis, & ijs quidem indolis, fato fieri omnia uideantur?

EXPLANATIO

BREVIS, quam causa desiderat. & ne scilicet castigatis auribus uestris abuti uideat. **FRETUS** & confusus. **DISSERO** & enarro. **CAVSSA** & negotium. **PENITVS** & omnino, & intrinsecus. **NON modo uiderat animo, sed etiam sic tractat, ut manu doceat.** & Huius loci correctionem sensus ipse uideret ostendere: toller enim omne mendum, si quis ita legat, Non modo uiderat animo, sed etiam sic tractat, ut manu, docet &c. Haec Paullus pater. **Sic tractat** & explicauerat quasi manu. **EAM** & cuiusmodi proprietatibus praeditam. **VIM** & animum. **NATVRAM** & essentiam corpoream. **VT primum non** & Deus Epicuri non sensu, sed mente cernitur. **NON sensu** & animo scilicet pulsante naturam corpoream & sensibilem. **SED mente** & intelligentia: similia enim similibus congregiuntur. **NEC soliditate,** & cum ipsa deorum imago sit corpus simplex. nō enim habet soliditatem pulsabilem. Corpus quidem figura est, quae trinam habet dimensionem: At solidum nihil est, quod terrae sit expers, & tangi non possit. hinc Graeci corpus, quod solidum est, Stereon, & Sterenion uocant, a firmitate, quae terrae proprietas est. **NEC ad numerum,** & non enim eadem semper manet, cū nihil habeat solidi. **SED imaginibus** & Alibi Cicero quasi paraphrasi quadam usus dicit, Sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatione, non sensu: nec esse in ea ullam soliditatem: neque eandem ad numerum permanere, eamq. esse uisionem ut similitudine, & transitione cernatur, neque deficiat umquam ex infinitis corporibus similibus accessio. ex eoq. fieri, ut in hoc intenta mens nostra beatam illam naturam, & sempiternam putet. **DEINDE cum infinita** & Beatam & aeternam deorum naturam ex affluxu & intuitu iucundo, & perenni atomorum aestimat. **EXSISTAT, & ad eos affluat.** & Legendum puto, A deo affluat, sententia ita postulante: de quo dubitandum eo minus est, quod infra, Cum, inquit, ex ipso imagines semper affluant. Et Lucretius nostram coniecturam libro IV. plane confirmat. Haec Paullus pater. **CVM maximis uoluptatibus** & Repete, quod supra dictum est, Docet Epicurus. **INFINITATIS** & mentis, siue intelligentiae, cuius circulus incomprehensus est. **INTELLIGI** & cōprehendi. **EAM esse naturam** & In infirmitate est *ισορομία*, id est aequalitas, seu aequilibras, hinc duo elicit Epicurus, Ergo tot sunt dii immortales, quot mortales, Ergo totres sunt conseruantes, quot sunt interimentes. **VT omnia omnibus, &c.** & ad hoc, ut per eam indiuidua omnia suis correspondentibus indiuiduis copulenter, & fiant specificae naturae. **RESPONDEANT** & tamquam ex altera librae parte appensa. Haec dicuntur a Graecis Antistropa. Virgil.

Contra elata mari respondet Cnoia tellus.

Ex hac & aequilibras. **QVAE conseruent** & hinc illa quorundam Medicorum regula, si quod est in terris uenenum, aliquod etiam reperiri certum remedium, quod inuestigare aequum sit: ut numquam desperare liceat de diuina largitione. **ET quaerere a nobis** & Postquam Velleius egit de forma deorum, differit breuiter de modo uiuendi. **QVAE** & qualis aetas uiuatur. **NIHIL enim agit** & Vita dei Epicurei otiosa, & uoluptaria. **NULLA opera molitur** & non uersatur in aliqua actione. Metaphora a molitoribus ducta, quae & uersatili orbium caelestium motui respondet. **EXPLORATVM** & compertum. **VESTRVM** & quem uos Stoici opificem mundi, & rectorem, principem uerfacitis. **SIVE enim** & ita argumentantur. Si deus est mundus ipse non est beatus, sed multis negotijs implicatus: sin uero mundi gubernator est, similiter laboriosus est. **CIRCVM axem caeli** & Axis, proprie lignum est quadrangulum in medio, utriusque capitibus teretibus umbilicos rotarum circumuersabilium pertransiens, & coniungens, curribus necessarium instrumentum. Metaphorice uniuersam rerum naturam hic designat, caelestibus circuituionibus mediam, quorum subit uicissitudines, adeo, ut instar Lunae perpetui increscens, & decrescens transeat circuituione quadam de iuuentute in senectutem, & rursus de senectute in iuuentutem. **VICISSITVDINES,** & alternationes. **ORDINESQ.** & subalternationes. **NAE ille** & certe ille deus, quem opinati sunt Stoici opificem mundi, & rectorem. **OPEROSIS.** & laboriosis. **Nos autem** & Beatitudo Epicuro in *ἀπραξία* sita est. **IN animi securitate** & in animi arce, in supremo ambitu, ubi in tranquillitate uacat ab omnibus muneribus libertatem nactus. **DOCUIT nos** & Epicureos. **IDEM, qui cetera** & idem scilicet Epicurus, qui docuit cetera iā a nobis dicta, de forma dei. **NATVRA effectum** & Mundus naturaliter existit Epicuro absque adminiculo dei, siue excluso deo. **NIHIL opus fuisse fabrica** & & per consequens non eguisse fabrilibus instrumentis, neque arte fabрили. **EAMQ. rem** & idq. opificium mundanū, quod uos Stoici negatis posse effici sine diuina solertia, hoc est, prouidentia, acumine, ratione, & arte. **TAM facilem** & adeo facilem. **VT effectum sit** & ipsa uis naturalis. **QVOD** & mundanum opificium. **SINE ali qua mente** & sine particulari prouidentia. **NON uidetis** & Sensus est, Nesciunt Stoici opinari mundanum opificium nisi in aliquo particulari ambitu caelesti, ubi omnia habent primum pacata, & secundis uentis nauigant; sed, cum deinde ueluti in argumento tragico, omnia turbantur, & aduersis fluctibus obruantur; tunc fidem atque auxilium implorant supremi domicilij. Ita Homerus in rei obscurae difficultate uersans numinuocani at, repetitq. uota: Hoc loco Musae Iouis filiae inuoco, Musae domicilium caeleste incolentes. Vos enim.

enim deae estis, uos adfuitis, uos omnia meministis. Nos incognitum habemus, qui reges, ducesq; fuerint illius classis, quae ad Troiam nauigauit: Ego recensere non possem, nisi uos deae autē edoceretis. **INTERMINATAM** & infinitam, supremam. **PEREGRINATUR** & uagatur, & discurrit. **ORAM ultimi** & superficiem ambitus extremi. **INSISTERE** & quiescere. **IN hac igitur immensitate, &c.** In hoc supremo ambitu naturae corporeae, quae tripliciter mensuratur, nempe latitudine, longitudine, atque altitudine, Atomi, inquit, uolitant, & suo concursu, cohaerentiaq; omnia efficiunt. **VOLITAT** & quasi auis in aere. **INFINITAM** & uniuersa uis. **INNUMERABILIVM atomorum** & aereorum corporum, quae numerari non possunt. Sunt atomi corpora aerea, quae lucente Sole uidentur sursum & deorsum continue coagitari, ita, ut propter inconstantiam, atque immensam multitudinem numerari non possint. **QVAE** & scilicet atomi. **INTERIECTO inani** & interiecto caelorum supremo ambitu, qui etiam aer dicitur a Stoicis. **COHAERESCUNT tamen, & continentur** & hoc est, quamquam atomi ex discretis corporibus aeris sint, cohaerescunt tamen per naturam, quae est omnium gluten; & continentur per supremum aerem. **SINE follibus, & incudibus** & sine Vulcanicis instrumentis. **CVRIOSVM, & sagacem.** **NEGOTII** & laboris, & uigilantiae. **AETERNA ueritate** & fida, ac certa constitutione. **QVANTI** & quanto pretio digna. Vellicat Velleius philosophiam Stoicam.

C I C E R O

SEQUITVR *μαρτυριῶν* uestra, quae Latine diuinationo dicitur: qua tanta imbuerimur superstitione, si uos audire uellemus, ut haruspices, augures, arioli, uates, & coniectores nobis essent colendi. his terroribus ab Epicuro soluti, & in libertatem uindicati nec metuimus eos, quos intelligimus nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quaerere; & pie, sanctaeque colimus naturam excellentem, atque praestantem. Sed, elatus studio, uereor, ne longior fuerim. erat autem difficile, rem tantam, tamque praeclaram, inchoatam relinquere. quamquam non tam dicendi mihi ratio habenda fuit, quam audiendi. Tum Cotta comiter, ut solebat, At qui, inquit, Vellei, nisi tu aliquid dixisses, nihil sane ex me quidem audire potuisses. mihi enim non tam facile in mentem uenire solet, quare uerum sit aliquid, quam quare falsum: idque cum saepe, tum, cum te audirem, paullo ante contigit. Roges me, qualem deorum naturam esse ducam: nihil fortasse respondeam. quaeras, putem ne talem esse, qualis modo a te sit exposita: nihil dicam mihi uideri minus. sed, ante quam aggrediar ad ea, quae a te disputata sunt; de te ipso, dicam, quid sentiam. Saepem enim de L. Crasso, familiari tuo illo, uideor audisse, cum te rogatis omnibus sine dubio anteferreret, & paucos tecum Epicureos e Graecia compararet, sed, quod ab eo te mirifice diligi intelligebam, arbitrabar illum propter beneuolentiam id uberius dicere. ego autem, etsi uereor laudare praesentem, iudico tamen, de re obscu-

ra, atque difficili a te dictum esse dilucide, neque sententis solum copiose, sed uerbis etiam ornatis, quam solent uestri. Zenonem, quem Philo noster Coryphaeum appellare Epicureorum solebat, cum Athenis essem, audiebam frequenter, & quidem ipso auctore Philone; credo, ut facilius iudicarem, quam illa bene res fererentur; cum a principe Epicureorum accepissem, quemadmodum dicerentur. non igitur ille, ut plerique, sed isto modo, ut tu, distincte, grauitate, ornate, sed, quae in illo mihi usu saepe uenit, idem modo, cum te audirem, acciderat, ut moleste ferrem, tantum ingenium (bona uenia me audies) in tam leues, ne dicam in tam ineptas, sententias incidisse. nec ego nunc ipse aliquid afferam melius. ut enim modo dixi, omnibus fere in rebus, & maxime in physicis, quid non sit, citius, quam quid sit, dixerim. Roges me, quid, aut qualis sit deus: auctore utar Simonide: de quo cum quaesuisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulauit: cum idem ex eo postredie quaereret, biduum petiuit: cum saepius duplicaret numerum dierum; admiransque Hiero quaereret, cur ita faceret; quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res uidetur obscurior. sed Simonidem arbitror, (non enim poeta solum suauis, uerum etiam ceteroqui doctus, sapiensque, traditur) quia multa uenirent in mentem acuta, atque subtilia, dubitauit, quid eorum esset uerissimum, desperasse omnem ueritatem.

E X P L A N A T I O

IMBEREMVR superstitione, & implemur timore inani. **HARVSPICES** & uictimarum inspectores. **AVGVRES** & auium garrimur obseruantes. **ARIOLAS** & singulorum fata enunciantes. **VATES** & fata reipub. enunciantes. **CONIECTORES** & somniorum interpretes. **HIS terroribus** & Epilogus Epicuri orationis de dijs. **LIBERTATEM** & securitatem animi. **VINDICATI** & positi. **SED elatus** & Excusatio de uerbostrate. **STVDIO** & uoluntate & cura explicandi res tam praeclaras. **QVAM audiendi** & modeste de se loquens, aliorum animos Velleius demeretur, & captat. **TVM Cotta** & Inducit Cicero Cottam Academicum resellentem Epicuri opinionis de forma, deq; mentis agitatione, ac de uita deorum: illudque tenet, nihil ut pronunciet. **NI si aliquid dixisses** & proposuisses. ad illud respondet, quod Velleius dixerat, Habendam sibi magis fuisse rationem audiendi, quam dicendi. **QVAM quare falsum:** Id enim Academicum est, omnia reuocare in dubium. **SAEPE enim** & Encomium Vellei, monens, amicis honesta esse tribuenda, & comiter respondendum. **TOGATIS** & nobilibus Romanis. **IVTCO tamen** & Obscura, & difficilia oratione dilucida, cum sententiis copiosa, tum uerbis ornata explicanda sunt. **DE re obscura,** & de ui & proprietate numinis, quod non facile cognoscitur. **DILUCIDE** & clare, aperte. **VESTRI** & Epicurei, philosophi Graeci. **PHILO noster** & Academicus philosophus. **CORYPHAEVM** & principem. Coryphaeus Graece dicitur, Latine is, qui tenet uerticem, & summum tatem,

tatem, quae Κορον appellatur. Hic Zeno Sidonius fuit, & Epicuri sectator. AVCTORE § suafore. QVE M-
ADMODVM dicentur. § dicendi modum. DISTINCTE, § ordinate. GRAVITER, § sententiose. IN
illo § Zenone Epicureo. VT moleste ferrem § Modesta dissensio ab amico, cuius ingenium quidem laudat,
sed sententiam reprehendit. SIMONIDE: § Caius fuit, & poeta lyricus, qui quo diutius de deo cogitavit, eo
minus, quid esset, inuenit. Est uero impotentis animi in inuestigatione ueri, cum sese aliqua dubia offerunt, ue-
ritatem omnem desperare. HIERO § Syracusanorum rex. DELIBERANDI § consultandi. SVAVIS § iucun-
dus, & dulcis, cum esset poeta Melicus.

C I C E R O

EPICVRVS uero tuus (nam cum illo malo
differere, quam tecum) quid dicit, quod non mo-
do philosophia dignum esset, sed etiam mediocri pru-
dentia? Quaeritur primum in ea quaestione, quae
est de natura deorum, sint ne dii, nec ne sint. difficile
est negare: credo, si in concione quaeratur: sed in hu-
iusmodi sermone, & confessu, facillimum. itaque ego
ipse pontifex, qui caerimonias, religionesq. publicas
sanctissime tuendas arbitror, is hoc, quod primum
est, esse deos, persuaderi mihi, non opinione solum, sed
etiam ad ueritatem plane uelim. multa enim occur-
runt, quae conturbent, ut interdum nulli esse uidean-
tur. sed uide, quam tecum agam liberaliter. quae cõ-
munia sunt uobis cum ceteris philosophis, non attin-
gam, ut hoc ipsum: placet enim omnibus fere, mihiq.
ipsi in primis, deos esse: itaque non pugno: rationem
tamen eam, quae a te affertur, non satis firmam pu-
to. Quod enim omnium gentium, generumq. homini-
bus ita uideretur, id satis magnum esse argumentum
dixisti, cur esse deos confiteremur. quod cum leue per-
se, tum etiam falsum est. Primum enim unde notae ti-
bi sunt opiniones nationum? equidem arbitror, mul-
tas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas
nulla suspicio deorum sit. quid? Diagoras, Atheos qui
dictus est, posteaq. Theodorus, non ne aperte deorum
naturam sustulerunt? nam Abderites quidem Prota-
goras, cuius a te modo mentio facta est, sophistes tem-
poribus illis uel maxima, cum in principio libri sui
sic posuisset: De dijs neque ut sint, neque ut non sint,
habeo dicere; Atheniensium iussu urbe, atque agro
est exterminatus; libriq. eius in concione combusti.
ex quo equidem exilimo, tardiores ad hanc senten-
tiam profutendam multos esse factos, quippe cum poe-
nam ne dubitatio quidem effugere potuisset. Quid de
sacrilegis, quid de impijs, periurisq. dicemus?

- Tubulus si Lucius umquam,

Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius, -

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tã periuus, aut tã
impius fuisset? Non est igitur tam explorata ista ra-
tio ad id, quod uultis, confirmandum, quam uideatur,
sed, quia cõmune est hoc argumentum aliorum etiam
philosophorum, omittam hoc tempore; ad uestra pro-
pria uenire malo. Concedo esse deos: doce me igitur,
unde sint, ubi sint, quales sint corpore, animo, uita.
haec enim scire desidero. abuteris ad omnia atomorũ
regno, & licentia. hinc, quodcumque in solum uenit,
ut dicitur, effingis, atque efficis. quae primum nullae
sunt: nihil enim est, quod uacet corpore: corporibus
autem omnis obsidetur locus: ita nullum inane, nihil
esse individuum potest. haec ego nunc physiorum o-
racla fundo: uera, an falsa, nescio; sed ueri tamen si-
milia, quam uestra. ista enim flagitia Democriti, si-
ue etiam ante Leucippi, esse corpuscula quaedam le-
uia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curua
ta quaedam, & quasi adunca; ex bis effectum esse
caelum, atque terras, nulla cogente natura, sed con-
cursu quodam fortuito; hanc tu opinionem, C. Vellei,
usque ad hanc aetatem perduxisti. priusq. te quis de
omni uitae statu, quam de ista auctoritate, deiecerit.
ante enim iudicasti, Epicureum te esse oportere, quã
ista cognouisti. ita necesse fuit, aut haec flagitia ani-
mo cõcipere, aut susceptae philosophiae nomen amit-
tere. quid enim mereas, ut Epicureus esse desinas? ni-
hil equidem, inquis, ut rationem uitae beatae, uerita-
temq. deseram. ista igitur est ueritas? nam de uita
beata nihil repugno: quam tu ne in deo quidem esse
censes, nisi plane otio langueat: sed ubi est ueritas in
mundis, credo, innumerabilibus, omnibus minimis tẽ-
porum punctis alijs nascentibus, alijs cadentibus; an
in indiuiduis corpusculis, tam praeclara opera, nulla
moderante natura, nulla ratione, fingentibus? Sed ob-
litus liberalitatis meae, qua tecum paullo ante uti
coeperam, plura complector.

EXPLANATIO

EPICVRVS uero? Confutatio Epicuri, cuius sententia de dijs ἀπίστος est, & impudens. MEDIOCRIS
uulgari. DIFFICILE § periculosum. CONCIONE § coetu populari. CONFESSU, § coetu sapientum.
ITAQVE ego ipse § Prima pars orationis Cottae de dijs, Quod sint. CAERIMONIAS, § diuinum cultum.
SANCTISSIME § integerrime. OPINIONE § ambiguo iudicio. VERITATEM § certitudinem. OCCUR-
RUNT § in mentem ueniunt. CONTURBENT § confundant, & cogant dubitare. LIBERALITER. § in genere,
ac benigne. NON pugno: § non contradico. QVOD enim § Infirmatio argumenti Epicuri de dijs. Quod
omnes gentes iudicant, est uerum, Omnes gentes iudicant esse deos, igitur &c. Cottae uero negat minorem, alla-
tis contrariis exemplis. GENERVM § conditionum, & qualitatum. ARGVMENTVM § iudicium. LEUE §
futile. IMMANITATE § feritate, ac morum prauitate. NULLA suspicio § nec minima opinio. ATHEOS §
sine deo. ABDERITES § ex Abdera opido Thraciae. Protagoras ob dubitationem de dijs damnatus. SOPHI-
STES § sapiens in arte dicendi. HABEO dicere § conuenit dicere, cum non liqueat, sitq. ambiguum. CON-
CIONE § publico coe. u. PROFITENDAM § palam asserendam. DVBITATIO § ambiguitas, qua Protago-
ras

ras laborauit. **QVID** de sacrilegis & Scelerati ipso facto declarant nullum esse deum, qui uindictet. Si *Tubulus* & In 2. de Fin. Cic. sic scribit, An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui cum praetor inter Sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo P. Scaeuola tribunus pleb. ferret ad plebem uellent ne de ea re quaeri. quo plebiscito decreta est a senatu consuli quaestio Cn. Scipioni profectus in exilium Tubulus statim, nec respondere ausus est. erat enim res aperta. **LVPVS**, & **Carbo** & Mali fuerunt ciues, & impij. Satyricus poeta dicit,

Secuit Lucilius urbem

Te Lupe, te Muci, & genuinum fregit in illis.

NEPTUNI filius & immanis & ferus, ab omni humanitate alienos, tamquam e mari genitos Neptuni filios dixit antiquitas sicuti Terrae filios, qui ignotis parentibus nati fuissent. **EXPLORATA** & certa. **AD uestra propria** & ad peculiare Epicureorum rationes, quibus probant esse deos. **DOCE me igitur** & Secunda pars, unde, ubi, & quales sint. **VNDE sint** & ex qua substantia consent. **REGNO** & potestate, & efficacia. **QVODCVMQVE** & c. & Prouerbum, id est, neque quid dicas, neque quid agas attendis, sed quiduis ex atomis fingis sicut figulus ex suo luto. **HINC** & ex his atomis. **QVAE** & atomi. **PRIMUM nullae** & Confutatio atomorum ex loci circumstantia. Omnia loca sunt completa corporibus, nec natura admittitur uacuum aut inane, Atomus non est corpus, igitur Atomus nihil est. **NIHIL est enim** & ratio, cur nulli sint atomi. **QVOD uacet** & uacuum sit. **OBSTETVR** & occupatur. **INANE** & uacuum. **PHYSICORVM** & naturae sensibilis interpretum. **ORACVLA** & sententias arcanas, atque obscuras. **FLAGITIA** & errata flagris digna. **ESSE corpuscula** & Descriptio atomorum. **LEVCIPPI**, & Leucippus, inquit Laertius, Eleates fuit, siue, secundum quosdam, Abderites, uel ut alij Milesius. **LEUIA**, & polita. **QVAESI adunca** & instar ferrei hami recurua. **COGENTE** & coniungente. **STATV** & condicione. **AVCTORITATE** & sententia. **QVID enim mereas**, & quid uelles lucrari: ac si dicat: Omne praemium quamquam maximum renueres pro dogmate Epicureo retinendo. **RATIONEM** & formulam. **SED ubi est ueritas?** & Vtrumque, inquit Corta, falsissimum est & esse mundos innumerabiles, & ex atomis omnia gigni, primum enim si subinde & celeritate incredibili nascerentur mundi, & occiderent, impediretur omnis collectio, & dissiparentur naturae partes, Deinde si ex atomis generarentur omnia, sequeretur ipsas esse aeternas, Deum uero & alia omnia ex illis facta, mortalia. **MODERANTE** & temperante.

C I C E R O

CONCEDAM igitur, ex indiuiduis constare omnia: quid ad rem e deorum enim natura quaeritur, sint sane ex atomis: non igitur aeterni, quod enim ex atomis sit, id natum aliquando sit. si natum, nulli dij ante quam nati. & si ortus est deorum; interitus sit necesse est, ut tu paullo ante de Platonis mundo disputabas. ubi igitur illud uestrum beatum, & aeternum? quibus duobus uerbis significatis deum. quod cum efficere uultis, in dumeta correptis. ita enim dicebas, non corpus esse in deo, sed quasi corpus; nec sanguinem, sed quasi sanguinem. hoc per saepe facitis, ut, cum aliquid non ueri simile dicatis, & effugere reprehensionem uelit, afferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem possit: ut fatius fuerit id ipsum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam imprudenter resistere. uelut Epicurus, cum uideret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suo pte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus, & necessarius; inuenit quo modo necessitatem effugeret: quod uidelicet Democritum fugerat: ait atomum, cum pondere & grauitate directo deorsum feratur, declinare paululum. hoc dicere turpius est, quam illud, quod uult, non posse defendere. idem facit contra dialecticos. a quibus cum traditum sit, in omnibus disiuccionibus, in quibus, aut etiam, aut non, poneretur, alterutrum uerum esse: pertimuit, ne, si concessum esset huiusmodi aliquid, aut uiuet cras, aut non uiuet Epicurus, alterutrum fieret necessarium: hoc, aut etiam, aut non, negauit esse necessarium. quo quid dici potest obtusius? urgebat Arcefilas Zenonem, cum ipse omnia falsa diceret, quae sensibus uiderentur; Zeno autem non nulla uisa esse falsa, non omnia. timuit Epicurus, ne, si unum uisum es-

set falsum, nullum esset uerum: omnes sensus ueri nuncios dixit esse: nihil horum, nisi callide: grauiorem enim plagam accipiebat, ut leuiorem repelleret. Idem facit in natura deorum: dum indiuiduorum corporum concretionem fugit, ne interitus & dissipatio consequatur, negat esse corpus deorum, sed tamquam corpus, nec sanguinem, sed tamquam sanguinem. mirabile uidetur, quod non rideat haruspex, cum haruspicem uiderit: hoc mirabilius, quod nos inter uos risum tenere possitis. non est corpus, sed quasi corpus. hoc intelligerem quale esset, si id in cercis fingeretur, aut fictilibus figuris: in deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis, intelligere non possum: ne tu quidem, uelle: sed non uis fateri: ista enim a nobis quasi dictata redduntur: quae Epicurus oscitans alucinatus est, cum quidem gloriaretur, ut uidemus in scriptis, se magistrum habuisse nullum. quod & non praedicanti tam facile quidem credere, sicut mali aedificij domino, glorianti se architectum non habuisse. nihil enim olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis. Xenocratem audire potuit: quem uirum, dij immortales: & sunt qui putant audiuisse, ipse non uult: credo plus nemini. Pamphilum quendam, Platonis auditorem, ait a se Sami auditum: ibi enim adolescens habitabat cum patre, & fratribus, quod in eam pater eius Neocles agripeta uenerat, sed, cum agellus eum non satis aleret, ut opinor; ludi magister fuit. sed hunc Platonium mirifice contemnit Epicurus. ita metuit, ne quid unquam didicisse uideatur. in Nausiphane Democriteo tenetur: quem cum a se non neget auditum, uexat tamen omnibus contumelijs. atqui, si haec Democritea non audisset, quid audierat? quid est in phisicis Epicuri

C non

non a Democrito? nam, et si quaedam commutauit, ut quod paullo ante de inclinatione atomorum dixi: tamen pleraque dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemq. mundorum, eorum ortus, & interitus, omnia fere, quibus naturae ratio continetur. Nunc istuc, quasi corpus, & quasi sanguinem, quid intelligis? ego enim scire te

ista melius, quam me, non fateor solum, sed etiam facile patior. cum quidem semel dicta sunt; quid est, quod Melles intelligere possit, Cotta non possit? itaque, corpus quid sit, sanguis quid sit, intelligo: quasi corpus, & quasi sanguis quid sit, nullo prorsus modo intelligo.

EXPLANATIO

QUOD autem ex atomis & asserit Cotta deos ex atomis compositos non posse esse immortales. **IN dumeta correptis** & Ad locutiones intortas callide configitis, quasi serpentes, qui simul repunt ad dumeta, cum ab aliquo timent. Elegans est Metaphora. **UT cum aliquid** & Satius est conuictum se fateri, quam in eo, quod defendere non potes, impudenter, & pertinaciter perseuerare. **SATIUS** & melius, & honestius. **SVOPTTE ponderare** & naturali grauitate. **NIL fore in nostra potestate** & Idem Cicero agens de fato dicit: Epicurus declinatione atomica uitari necessitatem fati putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam, cum declinat atomus. Hanc rationem induxit, ne, si semper atomus grauitate feratur naturali, & necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moueretur animus, ut atomorum motu cogeretur. **QUOD Democritum fugerat** & Democritus ignorauerat. Democritus, auctor atomorum, maluit (ut alibi dicit Cicero) omnia fieri ex necessitate, quam corporibus indiuiduis naturales motus auellere. Vnde Lucretius:

Sed ne res ipsa recessum

Intestinum habeat cunctis in rebus agendis,

Et deuicta quasi cogatur ferre, patique,

Id facit exiguum clinamen principiorum.

AIT atomum cum & Epicurus errorem errore cumulat, & excusat, cum declinare uult necessitatem fatalem. Argumentum hoc est: Ex atomis omnia efficiuntur, Atomorum motus est certus, & necessarius, Igitur omnia sunt necessitate inuitabili. **Responsio Epicuri ad minorem**, Atomum non deorsum feruntur directo, sed paululum declinant, **Qua** quidem declinatione necessitas eliditur. **DIRECTO** & ad lineam rectam, & pares angulos. **TURPIVS** & uituperabilis. **QUOD uult** & esse scilicet quendam animi motum uoluntarium, & liberum. **TRADITVM sit**, & in primis constitutum. **AVT etiam, aut non** & aut affirmatio, aut negatio. **IN omnibus disjunctionibus** & Disiunctiua propositio est: Quodlibet est, aut non est, eaq. necessaria est, alioqui sequitur implicatio contradictionis. Hanc regulam certitudinis Epicurus sustulit, ut necessitatem Stoicam elideret. **ALTERVTRVM** & e duobus alterum. **TOTVM hoc** & enunciatum. aut affirmatiue, aut negatiue. **OBTVSIVS** & hebetius, & crassius. **OMNIA falsa** & nullum esse uerum iudicium in sensibus. **VISA** & quae oculis sese offerunt. **OMNES sensus ueri** & Hyperbole est. cum enim sensus imbecilli sint, & hebetes, facile eis imponitur, ut falsa pro ueris arripiant. **CONCRETIONEM** & coagmentationem. **NEGAT esse corpus** & ἀτομα Epicuri. **DISSIPATIO** & dissolutio. **MIRABILE uidetur** & Miror inquit uos posse inter uos risum tenere, cum tam absurda dicatis, ut de haruspibus dici potest, qui uanissima quaeque dicunt interpretando exta. **HOC mirabilis** & maiore admiratione dignum. **QVALE** & cuius naturae, ac proprietatis. **FINGERETVR** & formaretur. **FICTIVS** & testaceis, & e creta effigiatis. **DICTATA** & praecripta. **REDDVNTVR** & recitantur. **QVAE Epicurus** & Notatur Epicurus, quod non solum balbutit de natura rerum, sed superbe etiam gloriatur se praeceptore nullo egere, nihil scilicet tam meritis, quam nequid umquam didicisse uideatur: sed nihil in theatrum producit, nisi infertiam cum magna pertinacia coniunctam. **OSCITANS** & negligens, ignarus, obtusus. **ALVCINATVS est** & a ueritatis luce aberrans enunciauit, praecriptis. **QUOD & non praedicanti tam facile quidem credam, sicut** & Tam, & Sicut, particulae non sunt sibi inuicem respondentes: itaque, & locutione magis usitata, & sensu aliquanto aptiore, legetur. **Quod & non praedicanti tamen facile quidem crederem**, sicut mali aedificii, &c. **Quam** lectionem habet Maffei liber scriptus: eamq. secutus sum in nostro libro. **Haec Paullus pater**. **PRAEDICANTI** & uulganti, & iactanti. **Ex Academia**, & ex doctrina Platonica. **Ex Lyceo**, & ex Aristotelica doctrina. **Academia** Platonica fuit gymnasium, **Lyceum** uero Aristotelicum: sicut & **Paecile** Stoicum, **Cynofarges** Cynicum. **SVNT qui putent** & ut Demetrius Magnesianus, auctore Laertio. **CREDO plus nemini** & Magis, inquit, credo Epicuro neganti se magistrum habuisse nullum. **SAMI** & Samus insula est, quam Athenienses Pericle, ac Sophocle ducibus uastarunt, coloniamq. deduxerunt, bis mille colonis eo missis, in quibus dicit Strabo Neocles Epicuri pater, ludus magister, quem hic, & in urbe Teo educatum ferunt. **IN eam** & Samum. **AGRIPETA** & nouus colonus, qui agrum petit. **LVDI** & litterarij scilicet. nam auctore Pedia-no Asconio, omnem Scholam appellant ludum, quapropter aliquo adiuncto distinguitur. **IN Nausiphane** & Nausiphanis Teij, dicit Laertius, Epicurum auditorem fuisse tradunt. **DEMOCRITEO** & Democriti sectatore. **CAPITVR** & conuincitur. **VEXAT** & lacerat, conuicijsq. proscindit. **ATQVI** & certe. **HAEC Democritea** & haec Democriti placita. **QUID est in physicis** & Secta Epicuri a Democrito est. **NON a Democrito** & subaudi accepta. **NATURAE ratio** & scientia de rerum natura. **NVNC istuc** & Vrget Epicurum reiteratione.

C I C E R O

Nec tu me celas, ut Pythagoras solebat alienos: nec consulto dicis occulte, tamquam Heraclitus: sed, quod inter nos liceat, ne tu quidem intelligis. illud uideo pugnare te, species ut quaedam sit deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, suq. pura, leuis, perlucida. dicemus ergo idem, quod in Venere Coa: corpus illud non est, sed simile corpori: nec ille fusus, & candore mixtus rubor sanguis est, sed quaedam sanguinis similitudo: sic in Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse. Fac id, quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum: cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta, atque formas. non deest hoc loco copia rationum, quibus docere uelitis humanas esse formas deorum: primum, quod ita sit informatum, anticipatumq. mentibus nostris, ut homini, cum de deo cogitet, forma occurrat humana: deinde, ut, quoniam rebus omnibus excellat natura diuina, forma quoque esse pulcherrima debeat; nec esse humanam ullam pulchriorem. tertiam rationem affertis, quod nulla in alia figura domicilium mentis esse possit. primum igitur quidque consideremus quale sit. arripere enim mihi uideamini, quasi uestro iure, rem nullo modo probabilem. Quis tam caecus in contemplantis rebus umquam fuit, ut non uideret species istas hominum collatas in deos aut consilio quodam sapientum, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a nitae prauitate conuerterent; aut superstitione, ut essent simulacra, quae uenerantes deos ipsos se adire crederent? auxerunt autem haec eadem poetae, pictores, opifices. erat autem non facile, agentes aliquid, & molientes deos in aliarum formarum imitatione seruare. accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine nihil pulchrius uideatur. sed tu hoc physice non uides, quam blanda conciliatrix, & quasi sui sit lena natura. an putas nullam esse terra mariq. belluam, quae non sui

generis bellua maxime delectetur? quod ni ita esset; cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus uaccas? an tu aquilam, aut leonem, aut delphinum nullam anteferre censes figuram suae? quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulchrius, quam hominem, putaret, eam esse causam, cur deos hominum similes putaremus? quid censes, si ratio esset in belluis, non suo quasque generi plurimum tributuras fuisse? at mehercle ego, (dicam enim, ut sentio) quamuis amem ipse me, tamen non audeo dicere, pulchriorem esse me, quam ille fuit taurus, qui uexit Europam. non enim hoc loco de ingenijs, aut de orationibus nostris, sed de specie, figuraq. quaeritur. quod si fingere nobis, & iungere formas uelimus; qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus inuehens, belluis adiunctis humano corpori, nolis esse? difficili in loco uersor. est enim uis tanta naturae, ut homo nemo uelit nisi hominis similis esse: & quidem formica formicae: sed tamen cuius hominis? quotus enim quisque formosus est? Athenis cum essem, e gregibus ephedorum mixtissimi singuli reperiebantur. uideo, quid arrikeris: sed ita tamen res se habet, deinde nobis, qui, concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiam uitia saepe iucunda sunt. naeuus in articulo pueri delectat Alcaeam. at est corporis macula naeuus: illi tamen hoc lumen uidebatur. Q. Catulus, huius, collegae, & familiaris nostri, pater, dilexit municipem tuum Roscium: in quem etiam illud est eius: Constiteram exorientem auroram forte salutans,

Cum subito a laeua Roscius exoritur:

Pace mihi liceat, caelestes, dicere uestra:

Mortalis uisus pulchrior esse deo.

huic pulchrior deo? at erat, sicut hodie est, peruersissimis oculis. quid refert? si hoc ipsum falsum, & uerum illi uidebatur.

EXPLANATIO

Nec tu me celas ut Pythagoras & c. 3. Comparatione exaggerat errorem Epicuri. ALIENOS 3. scilicet a disciplina sua. NEC CONSULTO 3. de industria, dedita opera. HERACLITVS 3. fuit Ephesius, & Scotianus, id est tenebrosus, & obscurus cognominatus est, quoniam nimis obscure de natura rerum disputauit, & scripsit. de quo Lucretius:

Heraclitus inquit quorum dux proelia primus,

Clarus obscuram linguam.

INTER NOS LICEAT 3. subaudi, dicere. PUGNARE TE, 3. te contendere. SPECIES UT QUAEDAM 3. impugnat speciem deorum ab Epicuro descriptam. CONCRETI, 3. coagmentati, siue corporei. SOLIDI, 3. corporei terrestres. EXPRESSI, 3. extantiss. EMINENTIS, 3. extuberantis. PURA, 3. simplex. LEUIS 3. expolita. PERLUCIDA. 3. resplendens, atque diaphana. VENERE COA: 3. Nobilissimus pictor Apelles Cous popularibus suis pinxit Venerem e mari exeuntem, quae ob id Anadyomene dicta est. Plinius dicit, Venerem exeuntem e mari Diuus Augustus dicauit in delubro patris Caesaris, quae Anadyomene uocatur. Vnde Ouidius:

Vt Venus artificis laus est, & gloria Coi,

Aequoreo madidas, quae premit imbre comas.

FVSVS, 3. extensus per lineamenta. CANDORE 3. albedine splendida. NON RES, 3. uerum corpus, & sanguinem. FAC ID, 3. Concessio. CEDO 3. dic, effare quae fila, & ductus sint harum imaginum, quas deo attribuitis. ADUMBRATORVM 3. habentium umbram corporis. PRIMVM, quod ita sit 3. Repetitiones Epicuri tres, quibus formam humanam deo adstruit. ANTICIPATVMQ. 3. praecognitum, animo ante comprehensum. OCCURRAT 3. animo repraesentetur. PRIMVM Igitur 3. Cotta Epicureos, tamquam de re maxima te-

mere & imprudenter loquentes notat, refutans per contritam interpretationem figmentum de humana deorum forma. **ARRIPERE**, quasi uestro iure, & assumere, proprio uestro iudicio; etiam si nulla constet ratio. **CAECVS** & ignarus, hebes, obtusus. **SPECIES** & formas. **COLLATUS** & per similitudinem quandam translatus. **AVT consilio** & prudentia. **CVLTVM** & uenerationem. **SUPERSTITIONE** & obiectu metus. **MOLIENTES** & mouentes. **ACCESSIT etiam** & Alia interpretatio ex communi hominum opinione, & insita quadam ui animantium, ut se suaq. maxime admirentur. **PHYSICE** & sensibilibum corporum interpres. **CONCILIATRIX** & mediatrix. est enim natura commune subiectura & medium, in quo conueniunt, cohaerescunt, concilianturq. opposita. **SIT lena** & Methaphora, id est, similis lenae, illicientis ad sui amorem. **GESTIRET** & gestu corporis laetaretur. **PRAESCRIPTIONE** & dictauit, ordinauit, praecepit. **PLVRIMVM** & quasi principatum formae. **AT mehercle** & Exemplum. **ILLE taurus** & fabulae dicunt Iouem conuersum in candidum taurum cornibus recuruis, atque innoxij, e Phoenicia in Cretam insulam aportasse Europam Agenoris filiam, **SPECIE** & forma. **QVOD si fingere** & Anthesis. **INVEHENS** & infidens natantibus piscibus humano corpori puberentis adnexis. **QVOTVS enim quisque** & quasi dicat, pauci formosi sunt. **QVOD arriferis** & cur mihi riferis: Intelligo causam tui risus, inquit Cotta; quoniam memini Epeborum. **CONCEDENTIBVS philosophis antiquis** & Arist. lib II. Polit. cap. 8. Idem Cicero in Tusc. disp. Mihi quidem haec in Graecorum gymnasijs consuetudo uideretur, in quibus isti liberi, & concessi, sunt amores. **ETIAM uicia** & Vicia etiam iucunda nobis esse solent in his, quos impense amamus, id quod exempla Alcei, & Catuli declarant. **IN articulo** & in inuentura. **ALCAEVM** & Is fuit Lesbius, & poeta Lyricus. **NAEVS** & uertuae instar, in qua possunt crescere pili. **LVMEN** & nitor, & splendor. **COLLEGAE** & focij in magistratu. **FAMILIARIS** & amici. **MVNICIPEM tuum** & ex eodem municipio. Lanuuius fuit hic Velleius. Lanuuium nunc uulgo dicitur Ciuitas Lanui, inter Longam Albam, & Neptunium opidum sita. **ILLVD** & tetrastrichum, quod sequitur in praeconia Roscij. **EIVS** & Q. Catuli. **HVIC pulchrior deo?** Concinnior erit sententia, si legatur; Hui, pulchrior deo? Haec Paullus pater. **PER VERSISSIMIS oculis** & deprauatissimis, & enormiter distortis. **SALVVM**, & delectabile. **VENVSTVM** & gratiosum, atque decorum.

C I C E R O

R EDEO ad deos. equos si non tam Strabones, at pauculos esse arbitramur? equos naenum habere? equos silos, flaccos, frontones, capirones; quae sunt in nobis? an omnia emendata in illis detur id uobis. num etiam est una omnium facies? nam, si plures, aliam esse alia pulchriorē necesse est. igitur aliquis non pulcherrimus deus. si una omnium facies est: flores in caelo Academiam necesse est. si enim nihil inter deum, & deum differt: nulla est apud deos cognitio, nulla perceptio. Quid, si etiam Vellei, falsum illud omnino est, nullam aliam nobis, de deo cogitantibus, speciem, nisi hominis, occurrere: tamen ne ista tam absurda defendes? nobis fortasse si occurrit, ut dicis: Iouem, Iunonem, Mineruam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos deos ea facie nouimus, qua pictores, fictoresq. uoluerunt: neque solum facie, sed etiam ornatu, aetate, atque uestitu. at non Aegyptij, nec Syri, nec fere cuncta barbaries, firmiores enim uideas apud eos opiniones esse de bestijs quibusdam, quam apud nos de sanctissimis templis, & simulacris deorum, etenim sana multa exspoliata, & simulacra deorum de locis sanctissimis ablata uidemus a nostris: at nero ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim, aut selem uiolatum ab Aegypto. quid igitur censet? Apim illum, sanctum Aegyptiorum bouem, non ue deum uideri Aegyptijs? tam hercle, quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu numquam ne in somnijs quidem uides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. at non est talis Argiua, nec Romana Iuno. ergo alia species Iunonis Argiuis, alia Latinis: & quidem alia nobis Capitolini, alia Afijs Hammonis Iouis. non pudet igitur physicum, id est speculatore, uenatoremq. naturae, ab animis consuetudine imbutis petere testimonium ueritatis? isto e-

nim modo dicere licebit, Iouem semper barbaram, Apollinem semper imberbem, caestios oculos Mineruae, caeruleos esse Neptuni. & quidem Athenis laudamus Vulcanum eum, quem fecit Alcarnenes: in quo stant, atque uestito, leuiter apparet claudicatio non deformis. claudum igitur habebimus deum, quoniam de Vulcano sic accepimus. Age, & his uocabulis deos esse facimus, quibus a nobis nominantur. at, primum, quot hominum linguae, tot nomina deorum. non enim, ut tu Velleius, quocumque ueneris, sic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hispania. deinde, nominum non magnus numerus ne in pontificijs quidem nostris, deorum autem innumrabilis. An sine nominibus sunt? istud quidem ita uobis dicere necesse est. quid enim attinet, cum una facies sit, plura esse nomina? quam bellum erat, uellei, confiteri, potius nescire, quod nescires, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum tibi displicere? An tu mei similem putas esse, aut tui deum profecto non putas. quid ergo? solem dicam, aut lunam, aut caelum deum? ergo etiam beatum. quibus fruentem uoluptatibus? & sapientem. qui potest esse in eiusmodi trunco sapientia? haec uestra sunt. si igitur nec humano iusu, quod docui; nec tali aliquo, quod tibi persuasum est: quid dubitas negare deos esse? non audes. sapienter id quidem. etsi hoc loco non populi metuis, sed ipsos deos. noui ego Epicureos omnia sigilla numerantes. quamquam uideo non nullis uideri, Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, uerbis reliquisse deos, re susulisse. itaque in illis selectis eius, breuibusq. sententijs, quas appellatis uoluntas dicitur, haec, ut opinor, prima sententia est: Quod beatum & immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.

EXPLA.

EXPLANATIO

REDEO ad deos? Exagitat formam humanam deorum. ECQVOS? interrogatiue ponitur, & significat, quor putamus esse strabones, & paetos? Strabones dicuntur, qui oculos habent retortos: Paeti uero, qui leniter deflexos ad lasciuiam. Vnde oculi Veneris paeti dicuntur. SILOS, & Sili appellantur, qui nasum habent sursum uersum, atque repandum. inde galeae ob similitudinem Silae dictae. FLACCOS, & Flacci dicuntur, qui aures habent grandiores, & languidas. Aures inquit, Plinius, homini tantum immobiles, ab his Flaccorum cognomina. FRONTONES, capitones; & A magnitudine frontis, frōtones & capitones capitis dicuntur. EMENDATA? sine menda, & deprauatione. DETVR? concedatur esse omnia emendata. VNA? eadem, & similis, citra discrimen. FLORERE? uigere, locum habere. ACADEMIAM? id est confusionem quādam, & ambiguitatem propter deorum formae similitudinem. qualis ambiguitas est in Academico dogmate, in quo ueritas ipsa latet. Vnde Horatius:

Atque inter Siluas Academi quaerere uerum.

COGNITIO? notitia. PERCEPTIO? certa scientia ueritatis. QUID, si etiam? Alia refutatio opinionis de specie humana deorum ex contrarijs exemplis Aegyptiorum, &c. SI occurrit? seruat Academicum morem, nihil affmans. EA facie? ad aspectu, imagine. FICTORES? opifices figurarum. ORNATV? cultu corporis. AT non? ostendit Cotta non omnes gentes, & nationes putasse deos habere humanam formam. FIRMORES? stabiliore. A NOSTRIS? Hoc maxime dicit propter C. Verrem, quem ideo sacrilegum uocat Iuuen. & idem Cicero in Verrinis, templa expilata ponit, & asportata simulacra numinum. APIM illum? Collatio speciei deorum apud alias, atque alias gentes. SANCTVM? uenerabilem. ILLAM nostram sospitam, & lunonem, quae Sospita cognominabatur, templumq. habebat apud Lanuuium. PELLE caprina? Hic erat cultus, & uestitus Sospitae lunonis. ROMANA? quae Romae colitur. HAMMONIS? arenarij, in effigie arietis. NON pudet? Veritatis testimonium non ab hominum opinione, sed recto iudicio cum rei natura congruente, petendum. PHYSICVM, id est, & Etymologia. TESTIMONIUM? confirmationem. IMBERBVM, & Sic scripti in libro nostro; cum antea legeretur, Imberbem, secutus in hoc iudicio Carisij auctoritatem. ALCAMENES? fuit Atheniensis. AT primum? Diuersitas nominum deorum, praefert etiam dissimilitudinem formae. PONTIFICIS? sacras pontificum caerimonias continentibus. NOSTRIS, & id dicit, quoniam pontifex maximus erat Cotta. QUID attinet, & ad tollendam scilicet ambiguitatem. QVAM bellum? fatius est ignorantiam confiteri suam, quam temere de rebus non intellectis dimicare. ISTA? tam indecora & absurda. NAVSEARE, & euomere. MEI similem? meae concionis, formae, & qualitatis. QUID ergo? acsi dicat, cū deus non habeat humanam formam, licebit ne solem, aut lunam deum appellare? quo dato, erit etiam beatus, & sapiens: beatitudo enim, & sapientia diuinae naturae tribuendae sunt. Verum, quomodo deus fruatur uoluptatibus, & sapientia, nisi habeat humanam formam? est enim sol, aut luna, corpus mutilum, truncum, ac sine membris, & sensibus. HAEC uestra sunt? eiusmodi, inquit, sunt Epicureorum placita, quae sibi ipsis non constant. HVMANO uisu, & humani corporis forma constat deus. TALI aliquo? corpore scilicet truncato. QVOD tibi persuasum est? ut deo tribueres. SAPIENTER id quidem? subaudi facis. Hoc loco? in hac disputatione inter amicos, a quibus tibi nihil timendum est. NON populum metuus? hoc est offensionem populi, a quo timere posses. SED deos ipsos? de quibus uideris bene sentire. SIGILLA numerantes. & Sensu, ut opinor, meliore, clariore quidem certe, legeretur, Sigilla uenerantes. Haec Paullus pater. Sigilla: numinum, scilicet signa uel parua. OFFENSIONEM Atheniensium? scilicet uiolando iura, Deos non existimans, quos ciuitas colit. RE? opinione & sententia. SELECTIS? egregijs, & eximijs. Κυριασ δόξας, & id est ratas, firmasq. opiniones. Κυριασ Graece, sanctio Latine. Κυριος sanctio. inde Κυριος dicitur ratur, & sanctus. Idem Cicero agens de Fin. bonorum, & malorum dicit: Quis uestrum non edidit Epicuri cyrias doxas, id est maximae ratas, quia grauissime sint ad beate uiuendum breuiter enunciatae sententiae. QVOD beatum? Falsa definitio beati. NEGOTIUM? labor.

CICERO

IN hac ita exposita sententia, sunt qui existiment, quod ille inscitia plane loquendi fecerit, fecisse confulo. de homine minime uastro male existimant. dubium est enim, utrum aliquid dicat iste beatum, & immortale, an, si quod sit beatum, id esse immortale. non animaduertunt, hic eum ambigue locutum esse, sed multis alijs locis & illum, & Metrodororum tam aperte, quam paullo ante te. ille uero deos esse putat: nec quemquam uidi, qui magis ea, quae timenda esse negaret, timeret, mortem dico, & deos. quibus medicos homines non ita ualde mouentur, his ille clamat omnium mortalium mentes esse perterritas. tot milia atrocitantur, morte proposita. alij omnia, quae

possunt, sana compilant. credo, aut illos mortis timor terret, aut hos religionis. Sed, quoniam non audes (iam enim cum ipso Epicuro loquar negare esse deos; quid est, quod te impediatur aut solem, aut lunam, aut mundum, aut mentem aliquam sempiternam in deorum naturam ponere? Numquam uidi, inquis, animam rationis, consilijq. participem in ulla alia, nisi humana figura. Quid? solis numquidnam, aut lunae, aut quinque errantium siderum simile uidisti? sol duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum, cursus annuos conficit. huius hanc illustrationē eiusdem incensa radijs menstruo spatio luna cōplet. quinque autem stellae eundem orbem tenentes, aliae propius

pius a terris, aliae remotius, ab iisdem principijs, disparibus temporibus eadem spatia conficiunt. numquid tale, Epicure, uidisti? ne sit igitur sol, ne luna, ne stellae: quoniam nihil esse potest, nisi quod attingimus, aut uidimus. Quid? deum ipsum num ne uidisti? cur igitur credis esse? tollamus ergo omnia, quae aut historia nobis, aut noua ratio affert. ita sit, ut mediterranei mare esse non credant. quae sunt tantae animi angustiae; ut, si Seriphi natus esses, nec umquam egressus ex insula, in qua lepuseulos, uulpeculasq.

saepe uidisses, non crederes leones, & pantheras esse, cum tibi, quales essent, diceretur? si uero de elephanto quis diceret, etiam irrideri te putares? Et tu quidem, uellei, non uestro more, sed dialecticorum, quae funditus gens uestra non nouit, argumenti sententiam conclusisti: beatos esse deos sumpsisti, concedimus. Beatum autem sine uirtute neminem esse posse, id quoque damus, & libenter quidem. Virtutem autem sine ratione constare non posse, conueniat id quoque necesse est.

EXPLANATIO

DVBIVM est enim, & Haec ratio existimantium Epicurum male sensisse de dijs quoniam consulto ambigam de illis sententiam protulerit. Hic & in hac sententia. METRODORVM & ipsius Epicuri fodalem. **Q**VAE timenda esse negaret & Providentiam dei tollit Epicurus, ut timorem dei ex animis hominum deleat. **M**EDIOCRES homines & mediocri cognitione subnixi. **M**OVENTVR & terrentur. **P**ROPOSITA & constituta illis in poenam, si capiantur. **C**OMPILANT & spoliant. **C**REDO & quasi dicat nec morte, nec religione tenentur. **N**VMQVAM uidi, & Id solum esse aliquid, quod uidetur, & attingitur, Deus non alia specie uideri non potest, nisi humana. Igitur si deus est, non nisi humana forma uisibili praeditus est. Respondetur, maior per se falsa est. Tum contrarijs exemplis stellarum refutatur. **O**RBI & circuli, qui Zodiacus Graece dicitur. **V**LTIMIS & extremis a cancro ad Capricornum. **D**EFINIENS & determinans. **H**VLVS & Solis. **L**YSTRATIONEM & circuitum. **E**IVSDEM & Solis. **C**OMPLET. & perficit. **Q**VINQVE stellae & Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, Mercurius. **I**SDEM principijs & quibus Sol, & Luna. **D**ISPARIBVS & diuersis, atque differentibus. **N**VMNE & quasi dicat, non uidisti. **H**ISTORIA & enarrationum praesentium. **N**OVA ratio & noua ars, & mathematica in primis. **M**EDITERRANEI & in media terra incolentes, procul uidelicet a mari. **T**ANTAE animi & Reprehenditur angustia animi nihil credentis, nisi quod uidet. **S**ERIPHVS & Seriphus parua est insula in mari Aegeo damnata quondam scelestorum exulij. **N**ON uestro more & Epicureorum scilicet. **S**ED dialecticorum & Epicuri totam dialecticam, tamquam inutilem & uanam repudiarunt. **Q**VAE funditus gens uestra non nouit & Puto legendum esse, **Q**uem: ut subaudiatur, morem: & deinde, Argumenti sententiam, non, Argumenti sententiam. Haec Paullus pater. **S**VMPSISTI. & enunciasti ut certum quoddam, & concedendum. **S**INE ratione & sine praescripto rationis, ponentis quandam mediocritatem rebus. **C**ONVENIAT & constet inter nos.

CICERO

ADIUNGIS, nec rationem esse nisi in hominis figura. quem tibi hoc daturum putas? si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc peruenire? quid autem est istuc gradatim? sumpsisses tuo iure. nam a beatis ad uirtutem, a uirtute ad rationem uideo te uenisse gradibus: a ratione ad humanam figuram quo modo accedis? praecipitare istud quidem est, non descendere. Nec uero intelligo, cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere, quam homines deorum. quares, quid intersit. si enim hoc illi simile sit, esse illud huic uideo. sed hoc dico, non ab hominibus formae figuram peruenisse ad deos. dii enim semper fuerunt, & nati numquam sunt, siquidem aeterni sunt futuri. at homines nati: ante igitur humana forma, quam homines, ea qua erant forma dii immortales. non ergo illorum humana forma, sed nostra diuina dicenda est. Verum hoc quidem, ut uoletis: illud quaero, quae fuerit tanta fortuna. nihil enim in rerum natura ratione factum esse uultis. sed tamen quis iste tantus casus, unde tam felix cursus atomorum, ut repente homines deorum forma nascerentur? semina deorum decidisse de caelo in terras putamus, & sic homines patrum similes exstitisse? uellem diceretis: deorum cognitionem agnoscerem non inuitus. nihil tale dicitis: sed casu esse factum, ut deorum similes essemus. & nunc argumen-

ta quaerenda sunt, quibus hoc refellatur? utinam tam facile uera inuenire possem, quam falsa conuincere. etenim enumerasti memoriter, & copiose, ut mihi quidem admirari liberet in homine esse Romano tantam scientiam, usque a Thalete Milesio de natura deorum philosophorum sententias. Omnes ne tibi illi delirare uisi sunt, qui sine manibus & pedibus constare deum posse decreuerunt? nec hoc quidem uos mouet considerantes quae sit utilitas, quaeque opportunitas in homine membrorum, ut iudicetis membrorum humanis deos non egere? quid enim pedibus opus est sine ingressu? quid manibus, si nihil comprehendatur? quid reliqua descriptione omnium corporis partium? in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil supernacaneum est: itaque nulla ars imitari solertiam naturae potest, habebit igitur linguam deus, & non loquetur; dentes, palatum, fauces nullum ad usum: quaeque procreationis causa natura corpori affinxit, ea frustra habebit deus: nec externa magis, quam interiora. cor, pulmonos, iecur, ceteraque, detracta utilitate, quid habent uenustatis? quandoquidem haec esse in deo propter pulchritudinem uultus. Istis ne fidentes somnijs non modo Epicurus, & Metrodorus, & Hermachus contra Pythagoram, Platonem, Empedoclemque dixerunt, sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa sit?

sa sit? scito quidem illa sermone, & Attico: sed, cum tantum Epicuri hortus habuerit licentiae, etiam soletis queri? Zeno quidem etiam litigabat. quid dicam Albucium? nam Phaedro nihil elegantius, nihil humanius. sed stomachabatur senex, si quid asperius dixeram: cum Epicurus contumeliosissime Aristotelem uexarit Phaedoni Socratico turpissime male dixerit; Metrodori, sodalis sui, fratrem Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis uoluminibus conciderit; in Democritum ipsum, quem secutus est, fuerit ingratus; Nausiphanem, magistrum suum, a quo nihil didicerat, tam male acceperit. Zeno quidem non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, ceterosque figebat maledictis, sed Socratem ipsum, parentem philoso-

phiae, Latino uerbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat, Chrysippum numquam, nisi Chesippum, uocabat. tu ipse paullo ante, cum tamquam senatum philosophorum citares, summos uiros desipere, delirare, dementes esse dicebas. quorum si nemo uerum uidit de natura deorum; uerendum est, ne nulla sit omnino. nam ista, quae uos dicitis, sunt tota commenticia, nix digna lucubratione amicularum. non enim sentitis, quam multa uobis suscipienda sint, si impetraueritis, ut concedamus eandem esse hominum, & deorum figuram. omnis cultus, & curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quae adhibetur homini; ingressus, cursus, accubatio, inclinatio, sessio, comprehensio, ad extremum etiam sermo, & oratio.

EXPLANATIO

GRADATIM? per gradus propositionum, & enunciationum. Translatio a scalarum gradibus, quibus adscenditur successiue, atque descenditur. **I**STVC? ad hanc enunciationem uidelicet, quod ratio non est, nisi in hominis figura. **P**ERVENIRE? per acrualem rationationem, quam Graeci Soritem appellant. **S**YMPSESSES? posuisses primum, ut inde concluderes quod uolebas. **T**VO IURE? arbitrio tuo. **G**RADIBVS? per gradus enunciationum. **Q**UO MODO ACCEDIS? ac si dicat, talis transitus omnino est absurdus. **P**RAECEPTARE? cadere in praecipit, & non per gradus descendere. **Q**UID INTER SIT? quae sit differentia inter haec, quae sequuntur reciproca & recurrentia, id est illos esse similes nobis, aut nos illis. **S**ED HOC DICO? Respondet Cotta, quid intersit. **D**II ENIM SEMPER FUERUNT? Argumentum ex temporis circumstantia. **A**ETERNI? quoniam aeternum id dicitur, quod nec principium habuit, nec fine aliquando terminabitur. **S**ED NOSTRA DIUINA? In hanc sententiam Cicero in Tusculana disputatione fingebat, inquit, haec Homeus, & humana ad deos transferebat, diuina mallem ad nos. **V**ERVM HOC QUIDEM? concedatur, inquit, uobis hoc, quod maluit Epicurus: deos esse hominum similes. **F**ORTVNA? fortunatus concursus, atomorum scilicet. **R**ATIONE? consilio diuino, & sollerti iudicio. **V**NDE TAM FELIX? Argumentum ab attributo quodam atomorum. Concursus atomorum est fortuitus, similitudo formae hominum, & deorum non est fortuita. Igitur non est ex atomorum concursu, quod tamen contra principium, & causam rerum omnium Epicurus statuit. **S**EMINA DEORVM? concessio. **P**VTAMVS,? Possumus ne inquit, existimare diuinum semen implese terram, & homines effinxisse. **C**OGNATIONEM? Naturam, quam homines haberent communem cum dijs. **C**ASV,? fortuna, & non semine deorum. **C**ONVINCERE,? refellere. **E**TENIM ENUMERASTI? Argumentum ab auctoritate, Philosophi magni nominis sine humana facie deum describunt. **S**CIENTIAM,? cognitionem. **D**ELIRARE? aberrare. **D**ECREVERVNT? iudicauerunt, & stauerunt. **N**EC HOC QUIDEM NOS? Argumentum ab inuiti, nihil opus est deo membris humanis. **O**PPORTVNITAS? necessaria utilitas. **I**MITARI? imitando assequi. **S**OLLERTIAM? acumen, & exquisitam artem. **E**XTERNA? exstantia, & apparentia. **C**OR, pulmones, iecur, ceteraque, detracta utilitate, quid habent uenustatis? Corrigo, Cor, pulmones, iecur, cetera; quae, detracta utilitate, quid habent uenustatis? **V**t praecedentibus tenui distinctionis nota se iugantur, & ad uerbum Habebit, referantur. Haec Paullus pater. **V**ENUSTAS? delectationis, gratiae, atque pulchritudinis. **F**IDENTES ISTE SOMNIJS? deliris opinionibus, somniorum instar. **H**ERMACHVS? Is fuit Mityleneus. **A**VS A SIT? ac si dicat, Indignum profecto est, eousque processisse delirantium impudentiam, ut & meretricula ausa fuerit aduersus Theophrastum, hominem in sapientia, & eloquentia tantum, qui (ut inquit Plinius) nomen diuinum inde inuenerit. **S**CITO? erudito. **A**TTCO:? eleganti, nitido. **E**PICVRI HORTVS? sectatores Epicuri, cuius schola hortensis uocabatur. **L**ICENTIAE,? libertatis temerariae. **E**TIAM SOLETIS QUAE RI? soletis indignari, si quis uobis contradixerit? id quod solebat Phaedro, ut paulo infra. **Z**ENO? Zenonis conuicia in Socratem. Fuit philosophus Epicureus, de Finibus. **L**ITIGABAT? lites disputando exercebat. **A**LBUVICVM? de hoc in Bruto, T. Albucius paene Graecus. fuit autem Athenis adolescens, perfectus Epicureus euaserat, minime aptum ad dicendum egnus. **P**HAEDRO? philosophus Epicureus, de Finibus. **S**TOMACHABATUR? indignabatur. **C**VM EPICVRVS UEXARIT,? etiam si Epicurus taxauerit. **P**HAEDONI SOCRATICO? Eliensis fuit, & seruus, forma, & ingenio liberali; quem, a Cebeate emptum, Socrates, & Plato in philosophiae discipulis habuerunt: eiusque nomini Plato librum illum diuinum de immortalitate animae dedit. **T**URPISIME? obscenissime. **T**OTIS? integris. **T**AM MALE ACCEPERIT,? tam contumeliose tractarit. **T**VM ERANT? tum uiuebant. **F**IGEBAT? impetebat, uulnerabat. **P**ARENTEM? auctorem eius philosophiae, quae est de uita, & moribus. **S**CURRAM? ridiculum assentatorem. **T**AMQVAM SENATVM PHILOSOPHORVM? hoc est, coetum philosophorum, qui est tamquam senatus. **N**AM ISTA, QUAE UOS DICITIS? Mira extenuatio Epicuri disciplinae. **C**OMMENTICIA? conficta. **N**ON SENTITIS? non cognoscitis. **O**MNIS CULTVS,? Argumentum ab adiacentibus, posita figura hominis sequuntur cetera accidentia homini conuenientia. **C**ULTVS: ornatus, atque uestitus. **C**VRATIO? uictus, remedia, & cetera id genus.

C I C E R O

NAM, quod & mares deos, & feminas esse dicitis: quid sequatur, uideatis. equidem mirari satis non possum, unde ad istas opiniones uester ille princeps uenerit. sed clamare non desinitis, retinendum hoc esse, deus ut beatus, immortalisque sit. quid autem obstat, quo minus sit beatus, si non sit bipes? aut ista siue beatitas, siue beatitudo dicenda est, (utrumque omnino durum, sed usu mollienda nobis uerba sunt) uerum ea, quaecumque est, cur aut in solem illum, aut in hunc mundum, aut in aliquam mentem aeternam, figura, membrisque corporis uacuum, cadere non potest? Nihil aliud dicitis, nisi, numquam uidi solem, aut mundum beatum. Quid? mundum, praeter hunc, unquam ne uidisti? negabis. cur igitur non sexcenta milia esse mundorum, sed innumerabilia, ausus es dicere? ratio docuit. ergo hoc te ratio non docebit, cum praestantissima natura quaeratur, eaque beata, & aeterna, quae sola in diuina natura sunt, ut immortalitate uincamur ab ea natura, sic animi praestantia uinci; atque, ut animi, item corporis? cur igitur, cum ceteris rebus inferiores sumus, forma pares sumus? ad similitudinem enim deo propius accedebat humana uirtus, quam figura. an quidquam tam puerile dici potest, (ut eundem locum diutius urgeam) quam si ea genera belluarum, quae in rubro mari, India ne gignantur, nulla esse dicamus? at qui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt, quam sunt multa, quae terra, mari, paludibus, fluminibus existunt, quae negemus esse, quia numquam uidimus. Ipsa uero quam nihil ad rem pertinet, quae uos delectat maxime, similitudo? quid? canis non ne similis lupo? atque, ut etiam, Simia quam similis, turpissima bestia, nobis? at mores in utroque dispares. elephanto belluarum nulla prudentior. at figura quae uastior? de bestiis lo-

quor. quid? inter ipsos homines non ne & simillimis formis dispares mores, & moribus figura dissimilis? etenim, si semel, uellei, suscipimus genus hoc argumenti; attende, quo serpat. tu enim sumebas, nisi in hominis figura rationem inesse non posse. sumet alius, nisi in terrestri; nisi in eo, qui natus sit; nisi in eo, qui adoleuerit; nisi in eo, qui didicerit; nisi in eo, qui ex animo constet, & corpore caduco, & infirmo; postremo, nisi in homine, atque mortali. quod si in omnibus his rebus obstitit; quid est, quod te una forma conturbet? his enim omnibus, quae proposui, adiunctis, in homine rationem esse, & mentem uidebas. quibus detractis, deum tamen nosse te dicitis, modo lineamenta manent. hoc est non considerare, sed quasi sortiri quid loquere. Nisi forte ne hoc quidem attendis, non modo in homine, sed etiam in arbore, quidquid superuacaneum sit, aut usum non habeat, obstat. quam molestum est, uno digito plus habere? quid ita? quia nec speciem, nec usum alium quinque desiderant. tuus autem deus non digito uno redundat, sed capite, collo, ceruicibus, lateribus, aluo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. si, ut immortalis sit; quid haec ad uitam membra pertinent? quid ipsa facies? magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur: haec enim sunt domicilia uitae. oris quidem habitus ad uitae firmitatem nihil pertinet. At eos uituperabas, qui ex operibus, magnificis, atque praeclaris, cum ipsum mundum, cum eius membra, caelum, terras, maria, cumque horum insignia solem, lunam, stellasque uiderent, dumque temporum mutationes, maturitates, uicissitudinesque cognouissent; suspicati essent aliquam excellentem esse, praestantemque naturam, quae haec fecisset, moueret, regeret, gubernaret. qui etiam si aberrat a coniectura, uideo tamen quid sequantur.

EXPLANATIO

QUID sequatur, nempe coitus, & procreatio. **PRINCEPS** auctor Epicuræ. **Si non sit bipes?** cuiusmodi est humana forma. **DVRVM** quod offendit aures Romanorum. **VSV** consuetudine loquendi. **QVAECVMQ.** est, cuiuscumque qualitatis sit. **QVID mundum?** Argumentum a pari, ut mundum beatum non uidisti, sic ne innumerabiles mundos uidisti, neque igitur peccas innumerabiles mundos adstruendo, ac si beatitatem mundo attribuas. **RATIO docuit** subaudi, inquit. **RATIO non docebit** Hoc, inquit, magis est rationi congruum, ut a diuina natura uincamur, non solum rationis praestantia, sed etiam corpore. **CVR igitur** ex negatione principalis partis, uirtute sumus dijs inferiores, igitur forma non sumus pares. **AN quidquam?** Puerile, inquit, est non putare aliquid esse, quod non uideris. **AN quidquam?** Absurdum est, ea, quae non uideris, omnia negare. **IPSA uero** Differentia inter similitudinem, & mores. **VRG EAM** stimulem, uexem, & taxando uellicem. **CVRIOSISSIMI** diligentissimi. **AD rem** subaudi quam uultis confirmandam, nempe similitudine corporis ostendi naturae, ac morum similitudinem. **VASTIOR** membrofior. **SIMILLIMIS formis** quales sunt geminorum figurae. **Et moribus** scilicet simillimis, dispar effigies corporis. **GENVS hoc argumenti** gradationem talem, qua es usus ad id probandum, quod intendebas. **QVO serpat.** ad quem finem tendat. **SVMEBAS,** enunciabas tamquam uerum, & cedendum. **OMNIBVS his** quae alius potest sumere, & maxime de corpore mortali, & homine. **OBSTITIS** repugnans, quoniam in deum talia non cadunt. **VNA forma** hominis scilicet. **CONSIDERARE,** prudenter perspiculare. **SED quasi sortiri** Notatur iterum imprudentia, & inconstantia Epicuri. **Sortiri:** sorte uenari. **NON modo** Repetitio argumenti ab inutili. **SUPERVACANEVM sit,** superfluum sit. **VSYM** utilitatem aliquam. **OBSTARE,** nocere. **SPECIEM,** figuram. **VSYM** actum ipsum utendi. **REDYNDAT,** superfluit. **FEMINIBVS,** membris genitalibus. **DOMICILIA uitae.** in quibus uita inhabitat, unde uitalia membra appellantur. **ORIS quidem habitus** id est, figura. **At eos uituperabas** Confert argumentum effectis

effectis dei cum Epicuri praehotionibus. **INSIGNIA** & splendores, ornamenta. **MATVRITATES**, & comple-
 menta. **VICISSITVDINES** & alternationes. **SVPICATI** & quadam opinione cognoscentes. **NATVRAM**, &
 uim generationi insitam. **REGRET** & consilio. **GVBERNARET** & reipsa. **QVID sequantur**, & quid uellent
 assequi, nempe in rebus creatis, & ratum ordinem seruantibus, esse creatorem, & rectorem.

CICERO

TV quod opus tandem magnum, & egregium ha-
 bes, quod effectum diuina mente uideatur, ex
 quo esse deos suspicere? Habeo, inquis, in animo insi-
 tam informationem quandam dei. & barbati quidē
 Iouis, galeatae Mineruae. nū igitur tales putas? quan-
 to melius haec uulgus imperitorum: qui non membra
 solum hominis deo tribuunt, sed usum etiam membro-
 rum: dant enim arcum, sagittas, hastam, clypeum, fu-
 scinam, fulmen: & si, actiones quae sint deorum, non
 uident, nihil agentem tamen deum non queunt cogita-
 re. ipsi, qui irridentur, Aegyptij nullam belluam, nisi
 ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conse-
 crauerunt. ibes maximam uim serpentium conficiunt,
 cum sint aues excelsae, cruribus rigidis, corneo, pro-
 cereoq. rostro: auertunt pestem ab Aegypro, cum uo-
 lucres angues, ex uastitate Libyae uento Africo inue-
 ctas, interficiunt, atque consumunt. ex quo fit, ut illae
 nec morsu uiuae noceant, nec odore mortuae. possum
 de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felis
 dicere: sed nolo esse longus. ita concludam tamen, bel-
 luas a barbaris propter beneficium consecratas, ue-
 strorum deorum non modo beneficium nullum exsta-
 re, sed ne factum quidem omnino. Nihil habet, inquit,
 negotij. profecto Epicurus, quasi pueri delicati, nihil
 cessatione melius existimat. at ipsi tamen pueri, etiā
 cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectan-
 tur: deum sic feriatum uolumus cessatione torpere,
 ut, si se commouerit, uereamur, ne beatus esse non pos-
 sit. haec oratio non modo deos spoliati motu, & actio-
 ne diuina, sed etiam homines inertes efficit; si quidem
 agens aliquid ne Deus quidem esse beatus potest. Ve-
 rum sit sane, ut uultis, deus effigies hominis, et imago:
 quod eius est domiciliū? quae sedes? qui locus? quae

deinde actio uitae? quibus rebus, id quod uultis, bea-
 tus est? utatur enim suis bonis, oportet, & fruatur,
 qui beatus futurus est. Nam locus quidem ijs etiam
 naturis, quae sine animis sunt, suus est cuique pro-
 prius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua;
 superior aeri, ignibus altissima ora reddatur. Bestia-
 rum autem terrenae sunt aliae, partim aquatiles, a-
 liae quasi ancipites, in utraque sede uiuentes: sunt
 quaedam etiam, quae igne nasci putentur, appareātq.
 in ardentibus fornacibus saepe uolitantes. Quaero
 igitur, uester deus primum ubi habitet: deinde, quae
 causa eum loco moueat; si modo mouetur aliquan-
 do: postremo, cum hoc proprium sit animantium, ut
 aliquid appetant, quod sit naturae accommodatum:
 deus quid appetat; ad quam denique rem motu men-
 tis, ac rationis utatur; postremo, quo modo beatus sit,
 quo modo aeternus. quidquid enim horum attigeris,
 ulcus est. ita male instituta ratio exitum reperire nō
 potest. Sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatio-
 ne, non sensu, nec esse in ea ullam soliditatem, neque
 eandem ad numerum permanere, eamq. esse eius ui-
 sionem, ut similitudine, et transiitione cernatur, neque
 deficiat umquam ex infinitis corporibus similium ac-
 cessio; ex eoq. fieri, ut in haec intenta mēs nostra bea-
 tam illam naturam, & sempiternam putet. Hoc per
 ipsos deos, de quibus loquimur, quale tandem est? nā,
 si tantum modo ad cogitationem ualent, nec ullam ha-
 bent soliditatem, nec eminentiam: quid interest, utri-
 de hippocētauro, an de deo cogitemus? omnem enim
 talem conformationem animi ceteri philosophi motū
 inanem uocant: uos autem aduentum in animos, &
 introitum imaginum dicitis.

EXPLANATIO

INFORMATIONEM & effigiationem, siue figurā. **NVM igitur tales putas?** & ac si dicat, Vanissima est haec
 informatio. nam Iuppiter non est barbatus, & Minerua non est galeata, ut pictores, & fictores effinxerunt.
QVANTO melius haec? De utilitatibus, siue actionibus dei. **VSVM** & actum utendi. **FVSCINAM** & telum
 est piscatorium, cuius diminutium Fuscina. Est & Fuscina tridens Neptuni. **CONSECRAVERUNT**, & sacrā,
 atque diuinam esse decreuerunt. **VIM** & multitudinem. **CONFICIUNT**, & enecant. **RIGIDIS** & asperis, ac
 duris. **AVERTUNT** & expellunt. **VOLUCRES** & alatos. **VASTITATE** & amplo deserto. **CONSUMUNT**, &
 deuorant. **ILLAE** & angues. **ODORE** & fetore, quo aer inficitur, gignitq. morbos. **ICHNEVMON** & inquit
 Plinius, maxime nascitur Aegypro, qui patentes crocodili dormientis fauces ingressus, ut telum aliquod immi-
 sum erodit. **DODORUS**, Ichneumon uacrocodilorum conterit, quodq. dictu mirabile est, nec oua comedens,
 neque ulla sua utilitate, sed natura duce, ad necessariam quandam commoditatem mortalium. **NEGOTII**, & la-
 boris, & curae. **PROFECTO Epicurus** & Inertia deorum refellitur. **DELICATI**, & molles, ignaui, desidēs. **CES-
 SATIONE** & otio, & quiete. **CESSANT** & uacui sunt litterarijs curis, & feriati. **FERIATVM** & otiosum, nihil
 molientem. **TORPERE**, & languere, otioq. marcescere. **INERTES** & ignauos. **VERVM sit sane?** Concessio.
 Eto, inquit, deum habere humanam effigiem. Videamus ubi habitet, quid agat, quibus uoluptatibus abundet:
 qualis ista sit effigies, ut merito possit dici aeternus, & beatus, quae duo in diuina natura relucere in primis de-
 ceuit Epicurus. **NAM locus** & sedis dei inquisitio. **FRVATVR**, & delectetur proprijs bonis, & nihil ei desit,
 quod ad beatitudinem pertinet. **INUNDET** & regat, & alluat. **SUPERIOR aeri**, & Antiqui libri & Superius
 D aer, &

aer, & supremum aer habent. ego rectius legi putarem. Superiorem aer: ut subaudiatur; locum teneat: uel, superior aer: ut insequens membrum spectet: quod in nostro libro reposui. Haec Paulus pater. **ALTISSIMA ORA** & summum caeli spatium. **ANCIPITES** & tibiae, & amphibiae, quoniam & in terra degunt, & aqua. **QUAE** **RO** igitur & cumulus quaestionum. **QUAE CAUSA** & qui appetitus. **NATURA** **E** **accommodatum**: & aptum conseruationi, & augmento naturae. **QUOMODO BEATUS** & quibus medijs beatitudinem assequatur. **QUID** **QUID** **QUID** horum & beatitudinis, ac aeternitatis. **ATTIGERIS** & ut attibuas deo, quasi indigenti. **VLVS** **est** id est haerebit, uel offender. argui enim poterit deum esse quiddam corruptibile, & continue defluens, ueluti ulcus. **ITA** **male** & Male instituta oratio non reperit exitum. **EXITVM** & conclusionem certam, & necessariam: cum assumptae propositiones irrationabiles fuerint. **SIC** **enim** dicebas, & Repetit quadam paraphrasi Epicuream rationem de beatitudine, & aeternitate diuinae naturae. **HOC** **per ipsos deos**, & Deridet Cottia eiusmodi Epicureorum ineptias, dicitq. se nullo modo perspicere, quid sibi uelint haec deliramenta. **QUAE** & cuius proprietatis. **AD** **cogitationem** & Animis finguntur, necre ipsa sunt. **CONFORMATIONEM** & effigiationem. **MOTVM** **inanem** & cogitationem uanam, & cassam, quoniam re uera nulla est.

CICERO

U igitur, Ti. Gracchum cum uideor concionantem in Capitolio uidere, de M. Octauiio deferentem sitellam, tum cum motum animi dico esse inanem; tu autem & Gracchi, & Octauii imagines remanere, quae, in Capitolium cum peruenerint, tum ad animu meum referantur: hoc idem fieri in deo, cuius crebra facie pellantur animi, ex quo esse beati atque aeterni intelligantur. fac imagines esse, quibus pulsentur animi: species dumtaxat obijcitur quaedam, num etiam cur beatus sit, cur aeterna? quae autem istae imagines uestrae, aut unde? a Democrito omnino haec licentia, sed & ille reprehensus a multis est; nec nos exitum reperitis; totaq. res uacillat, & claudicat. nam, quid est, quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines? Homerii, Archilochi, Romuli, Numa, Pythagorae, Platonis, nec ex forma, qua illi fuerunt? quo modo illi ergo? & quorum imagines? Orpheu poetam docet Aristoteles numquam fuisse: & hoc Orphicum carmen Pythagorici ferunt cuiusdam fuisse Cercopis. at Orpheus, id est imago eius, ut uos uultis, in animum meum saepe incurrit. quid, quod eiusdem hominis in meum aliae, aliae in tuum? quid, quod earum rerum, quae numquam omnino fuerunt, neque esse potuerunt, ut Scyllae, ut Chimerae? quid, quod hominum, locorum, urbium earum, quas numquam uidi mus? quid, quod, simul ac mihi collibitum est, praesto est imago? quid, quod etiam ad dormientem ueniunt inuocatae? tota res, Vellei, nugatoria est: uos autem non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis: tanta est impunitas garriendi, at, quam licenter & stultitium frequenter transitio sit uisionum, ut e multis una uideatur. puderet me dicere, non intel ligere, si uos ipsi intelligeretis, qui ista defenditis. quo modo enim probas, continenter imagines ferri? aut, si continenter, quo modo aeternae? Innumerabilitas, inquis, suppediat atomorum. num eadem ergo ista fa-

cient, ut sint omnia sempiterna? Confugis ad aequi libritatem: sic enim & *τοροποιαι*, si placet, appellemus: & ais, quoniam sit natura mortalis, immortalis esse oportere. isto modo, quoniam homines mortales sunt, sint aliqui immortales: & quoniam nascuntur in terra, nascantur & in aqua: & quia sunt quae interimant, sint quae conseruent. sint sate: sed ea conseruent, quae sunt: deos istos esse, non sentio. Omnis tamen ista rerum effigies ex indiuiduis. quo modo corporibus oritur? quae etiam si essent, quae nulla sunt; pellere se ipsa & agitari inter se concursu fortasse possent; formare, figurare, colorare, animare non possent. nullo igitur modo immortalis deum efficiatis. Videamus nunc de beato. Sine uirtute certe nullo modo. uirtus autem actiua, & deus uelut nihil agens: expers uirtutis igitur: ita ne beatus quidem. quae ergo uita? suppediatio, inquis, bonorum, nullo malorum interuentu. quorum tandem bonorum? uoluptatum. credo: nempe ad corpus pertinentium: nullam enim nouistis, nisi profectam a corpore, & reduntem ad corpus, animi uoluptatem. no arbitror te, Vellei, similem esse Epicureorum reliquorum: quos pudeat earum Epicuri uocum, quibus ille estiat, se ne intelligere quidem ullum bonum, quod sit seiunctum a delicatis, & obscenis uoluptatibus: quas quidem non erubescens persequitur omnes nominatim. quem cibum igitur, aut quas potiones, aut quas uocum, & florum uarietates, aut quos tactus, quos odores adhibebis ad deos, ut eos perfundas uoluptatibus? at poetae quidem nectar, ambrosiam epulis comparant, & aut Iuuentatem, aut Ganymedem pocula ministrantem. tu autem, Epicure, quid facies? neque enim, unde habeat ista deus tuus, uideo, nec quo modo utatur. locupletior igitur hominum natura ad beate uiuendum est, quam deorum, quod pluribus generibus fruitur uoluptatum.

EXPLANATIO

U igitur & Ponit exemplum eiusmodi imaginationis, quae uana dicitur, ab Epicureis autem censebatur uera. **CONCIONANTEM** & habentem orationem ad populum. **MOTVM** **animi** & Motus inanis, id est, imaginatio. **DEFERENTEM** **sitellam** & colligentem suffragia, & uora de M. Octauiio collega suo, cui tribuniciam dignitatem abrogauit. Est autem Sitella uasculum ore angusto, sed uentre latiori, in quod demittebantur suffragia eligendorum, & abrogandorum magistratum. **EV** **M** **motum** & eiusmodi imaginationem,

ginationem, ac uisum. IN ANEM ꝛ uanum imaginarium nulla ueritate subnixum. REMANERE, ꝛ superesse. IN Capitolium ꝛ in quo uidetur concionari Gracchus. REFERANTVR: ꝛ reducantur. Hoc idem ꝛ simile dicit esse de diuinis imaginibus. CREBRA facie ꝛ frequenti intuitu. PELLANTVR ꝛ pulsentur, & moueantur. Ex quo ꝛ propter quem crebrum pulsium. FAC imagines esse, ꝛ imaginum deorum, quas Epicurus somniat obuersari animis, refutatio. DVMT AXAT ꝛ solum, inquit, uidetur simulacrum, cuius uis id non efficit, quod suspicamini. NVM ꝛ an scilicet obijcitur, & apparet, cur sit beata, & aeterna eiusmodi imago: quasi dicat, imaginationis apparitio non arguit beatitudinem, nec aeternitatem imaginis, quoniam uana est. QVAE ꝛ cuius qualitatis. VNDE ꝛ e quibus principijs: nam sunt imagines multorum, qui numquam fuerunt, ut Orphei. HAEC licentia ꝛ Temeraria libertas quodcumque libeat fingendi, ubi ueritatis esse debeat indagatio. EXITVM ꝛ finem. TOTAQ. res ꝛ tota causa de uideorum. NAM quid est, ꝛ rationem affert huius claudicationis. PROBARI ꝛ commendari tamquam uerisimile. INCIDERE ꝛ incurere. NEC ex forma, qua illi fuerunt ꝛ ꝛ Ridiculum est, inquit, dicere in me incidere Homeri imaginem, quae non respondeat formae Homeri: nam, si Homeri forma diuersa est ab ipsa imagine: quo modo haec ipsa imago erit Homeri? PRAESTO est ꝛ praefens est, cum mihi placuerit. INCULCATIONIS: ꝛ imprimitis. CONTINENTER ꝛ continue citra cessationem. INNVMERABILITAS, inquis, & c. ꝛ Haec erat ratio Epicureorum, quare essent aeternae imagines. SUPPEDITAT ꝛ abundat. EADEM ista ꝛ nemper quod imagines continenter ferantur, & atomorum innumere rabiliu suppeditatio. VT sint omnia sempiterna? ꝛ quali dicat non, & uos nihil afferis quod hoc concludat, & probet. CONFUGIS ad aequilibratam ꝛ infirmitas *ισοουπλια* Epicuri. SI placet, ꝛ modeste corrigit Vel leum, qui *Isonomia* interpretatus fuerat aequabilem tributionem. ISTO modo ꝛ qui sequitur, Quoniam homines & c. DE OS istos ꝛ ab Epicureis confictos. Ex indiuiduis corporibus ꝛ quae Epicurus appellat atomos. QVAE ꝛ indiuidua corpora. NVLLO igitur modo ꝛ Concludit, dei immortalitatem ex motu imaginu, & atomorum, probari non posse. VIDEAMVS nunc de beato. ꝛ hoc est, an deus Epicureorum esse possit beatus. Negat deum Epicuri esse beatum, ducto argumento ex definitione. Virtus est actiuosa, Deus Epicuri nihil agit. Igitur uirtute non est praeditus, & per consequens, nec beatus. ACTIOSA, ꝛ in actione consistit. QVAE ergo uita? ꝛ Vita deorum uoluptaria confutatur. Quaerit Corta, qualem uitam degat Epicureorum deus: ut, postquam ademit illi immortalitatem, & beatitudinem, tandem adimat etiam delectationem. SUPPEDITATIO ꝛ redundantia. NVLLAM enim nouistis, nisi & c. ꝛ Voluptas Epicuri. QVOD sit seiunctum ꝛ Nullum bonum nouit Epicurus seiunctum a uoluptatibus obsecnis. DELICATIS ꝛ suauibus, delectantibus gustum, & tactum. OBSCENIS ꝛ turpibus, tamquam communibus homini cum bestijs. PERSEQUITVR ꝛ enumerat. PERFUNDAS ꝛ irriges. AT poetae quidem ꝛ sensus est, Melius quidem poetae, quam uos. hi enim conuiuijs deorum commenti sunt nectar ambrosiam, & aut Heben, aut Ganymedem, qui pocula ministraret,

CICERO

AT has leuiore ducis uoluptates, quibus quasi titillatio (Epicuri enim hoc uerbum) sensibus adhibetur. Quousque ludis? nam Philo noster ferre non poterat, aspernari Epicureos molles, & delicatas uoluptate: summa enim memoria pronuntiabat plurimas Epicuri sententias ijs ipsis uerbis, quibus erat scripta: Metrodori uero, qui est Epicuri collega sapientiae, multa impudentiora recitabat. accusat enim Timocratem, fratrem suum, Metrodorus, quod dubitet omnia, quae ad beatam uitam pertineant, uentre metiri: neque id semel dicit, sed saepius. Annuere te uideo: nota enim tibi sunt. profferrem libros, si negares. Neque nunc reprehendo, quod ad uoluptatem omnia referantur: alia est ea quaestio: sed doceo, deos uestros esse uoluptatis expertes: ita uestro iudicio ne beatos quidem. At dolore uacant. satin est id ad illam abundantem bonis uitam beatissimam? Cogitant, inquis, assidue beatos esse se: habent enim nihil aliud, quod agitent in mente. comprehendere igitur animo, & proponere ante oculos, deum nihil aliud in omni aeternitate, nisi, mihi pulchre est, & ego beatus sum, cogitantem. nec tamen uideo, quo modo uideatur iste deus beatus, cum sine ulla intermissione pulsetur, agiteturq. incursione atomoru sempiterna,

cumq. ex ipso imagines semper affluant. ita nec beatus est uester deus, nec aeternus. At etiam de sanctitate, de pietate aduersus deos, libros scripsit Epicurus. at quo modo in his loquitur? ut Coruncanium, aut Scaenolam, pontifices maximos, te audire dicas, non eum, qui sustulerit omnem funditus religionem; nec manibus, ut Xerxes, sed rationibus, deorum immortalium templa & aras euerterit. Quid est enim, cur deos ab hominibus colendos dicas, cum dii non modo homines non colant, sed omnino nihil curent, nihil agant? At est eorum eximia quaedam, praestansq. natura, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam allicere sapientem. An quidquam eximum potest esse in ea natura, quae sua uoluptate laetans, nihil nec actura sit umquam, neque agat, neque egerit? Quae porro pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? aut quid omnino, cuius nullum meritum sit, ei deberi potest? est enim pietas, iustitia aduersum deos: cum quibus quid potest nobis esse iuris, cum homini nulla cum deo sit communitas? sanctitas autem est scientia colendoru deorum: qui quamobrem colendi sunt, non intelligo, nullo nec accepto ab ijs, nec sperato bono. quid est autem, quod eos ueneremur propter admirationem eius naturae, in qua egregium nihil uidemus?

EXPLANATIO

DVICIS ꝛ opinaris. **TITILLATIO** ꝛ commotio quaedam, & ueluti pruritus sensui iucundus. **LVDIS** ꝛ iocaris atque derides. **NOSTER** ꝛ Academicus. **MOLLES** ꝛ libidinosos. **COLLEGA** ꝛ eiusdem disciplinae, & alter Epicurus. **VENTRE metiri** ꝛ ex his, quae spectant ad gustum, & tactum, iudicare. **ANNVERE** ꝛ nutu affirmare. **Ad uoluptatem** ꝛ tamquam ad ultimum finem. **REFERANTVR** ꝛ reducantur. **ALIA est ea quaestio** ꝛ pertinet enim ad actuosam philosophiam, & fines bonorum atq. malorum. **AT dolore uacant.** ꝛ Maximam illam uoluptatem censent Epicurei, quae percipitur omni dolore detracto: sed uacuitas doloris non sufficit ad beatam uitam. **SATIN est &c.** ꝛ non satis est, inquit indolentia ad efficiendam uitam beatissimam. **COGITANT inquirunt** ꝛ Beatitudo imaginaria. **COMPREHENDE** ꝛ concipe, & imaginare, ita esse, ut dicitis, non tamen beatus esse potest cum pulsatur, ut uos uultis in atomico cursu sempiterno. **PVLCHRE** ꝛ bene, atq. iucunde. **AT etiam de sanctitate,** ꝛ De cultu deorum. quoniam uerbis quidem asserit, sed re tollit Epicurus. **ADVERSUS deos** ꝛ erga numerum colendum. **AT quo modo** ꝛ quasi dicat, Verba sunt religiosissimo uiro digna. **QVID est enim,** ꝛ Qui prouidentiam dei negat, cultum eius tollit. **NON eum, qui sustulerit omnem funditus religionem** ꝛ nimirum cum dixerit Epicurus, in deo nec gratiam esse nec iram. **VT Xerxes,** ꝛ In II. de legibus inquit Cicero, Nec sequor Magos Persarum, quibus aucto-ribus Xerxes inflammaisse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia, & libera, quorumq. hic mundus omnis templum esset, & domus. **HOMINES non colant.** ꝛ Hominibus non consulant, magis probarem. erat enim haec Epicuri sententia, deos hominibus non consule-tere. quod Cotta refellit, cum hoc loco, tum in fine libri, cum inquit: Dij, nulla re egentes, & inter se dili-gunt, & hominibus consulunt. Item lib. II. Primum docent esse deos: deinde, quales sint: tum mundum ab his administrari: postremo, consulere eos rebus humanis. Et, Si, inquit, omnibus hominibus deos consule-re censemus. Et lib. III. Primum, deorum ne prouidentia mundus regatur: deinde, consulant ne dij rebus humanis. Et, Vitae hominum consuli a dijs, & prouideri. Et alibi in eandem sententiam saepissime. Quae quia tam manifesta in re minus uidentur esse necessaria, praetermittam. Haec Paullus pater. **AT est eorum eximia** ꝛ Nihil est eximium, & ueneratione dignum in deo otioso, & uoluptario Epicuri. **EST enim pietas,** ꝛ pietatis definitio. **COMMVNITAS** ꝛ communicatio munerum, & beneficiorum nos obligans, ut ex iustitia deo tribuamus, quod illi debeatur.

CICERO

NAM superstitione, quod gloriari soletis, facile est liberari, cum sustuleris omnem uim deorum. nisi forte Diagoram, aut Theodoru, qui omnino deos esse negabant, censens supersticiosos esse potuisse, ego ne Trotagoram quidem: cui neutrum liquerit, nec esse deos, nec non esse, horum enim sententiae omniu non modo superstitionem tollunt, in qua inest timor inanis deorum; sed etiam religionem, quae deorum cultu pie continetur. Quid? ij, qui dixerunt, totam de dijs immortalibus opinionem fictam esse ab homini-bus sapientibus reip. causa, ut, quos ratio non pos-set, eos ad officium religio duceret; non ne omnem re-ligionem funditus sustulerit? Quid? Prodicus Chius, qui ea, quae prodesse hominum uitae, deorum in nu-mero habita esse dixit, quam tandem religionem reli-quit? Quid? qui aut sortes, aut claros, aut potentes uiros tradunt post mortem ad deos peruenisse, eosq. esse ipsos; quos nos colere, precari, uenerariq. so-leamus; non ne expertes sunt religionum omnium? quae ratio maxime tractata ab Eubemero est: quem noster & interpretatus, & secutus est praeter cete-ros Ennius. ab Eubemero autem, & mortes, & se-pulturae demonstrantur deorum. utrum igitur hic confirmaisse religionem uidetur, an penitus totam sustulisse? Omitto Eleusinam sanctam illam, & au-gustam, Vbi iniantur gentes orarum ultimae: praeterea Samothraciam, eaque, quae Lemni noctur-no aditu occulta coluntur, siluestribus saepibus den-

sa. quibus explicatis, ad rationemq. reuocatis; reru magis natura cognoscitur, quam deorum. Nihil quidem etiam Democritus, uir magnus in primis, cuius fontibus Epicurus hortulos suos irrigauit, nuta-re uidetur in natura deorum. tum enim censet imagi-nes diuinitate praeditas inesse uniuersitati rerum: tum principia, mentesque, quae sunt in eodem uni-uerfo, deos esse dicit; tum animantes imagines, quae uel prodesse nobis solent, uel nocere: tum ingentes quasdam imagines, tantasque, ut uniuersum mundu complectatur extrinsecus. Quae quidem omnia sunt patria Democriti, quam Democrito, digniora, quis enim istas imagines comprehendere animo potest? quis admirari? quis aut cultu, aut religione dignas in-dicare? Epicurus uero ex animis hominum extraxit radicibus religionem, cum dijs immortalibus & opē, & gratiam sustulit. cum enim optimam & praestan-tissimam naturam dei dicat esse, negat idem esse in deo gratiam: tollit id, quod maxime propriu est opti-mae, praestantissimaeq. naturae. qd enim est melius, aut quid praestantius bonitate, & beneficentia? quis cum carere deum uultis; neminem deo nec deum, nec hominem carum, neminem ab eo amari, nemine dili-gi uultis, ita fit, ut non modo homines a dijs, sed ipsi dij inter se ab alijs alij negligantur. Quanto Stoici melius, qui a uobis reprehenduntur, censent autem sa-pientes sapientibus etiam ignotis esse amicos. nihil est enim uirtute amabilius: quam qui adeptus erit ubicunque gentium, a nobis diligetur.

EXPLANATIO

SUPERSTITIONE, & uano timore deorum. **OMNEM uim deorum**, & omnem deorum impetum, & iram punitricem. **Nisi forte &c.** Sensus est: Nulli dubium esse potest, Epicureos liberasse mortales a superstitione, non minus quam Diagoram, Protagoram, & alios, qui omnem religionem funditus sustulerunt. **QVID: ij, qui dixerunt?** Ficta quorundam opinio de deo. **REIP. causa**, & pro cōi utilitate rerum publica, quae citra religionem siue bonam, & firmam opinionem de dijs, bene regi non possunt. **PRODICVS Chius**, & Alij uidentur legisse in antiquo libro, Prodicus Cius, nos hicaeremus, cum superius auctorem huius sententiae fuisse Perseum appareat. nisi si uelis legere, Perseus Citieus, non Prodicus Cius, litteris haud ita dissimilibus, ut correctio temeraria uideri possit. Perseum autem, Zenonis auditorem, fuisse Citieum, Sudas, & Laertius in Zenone testatur. Haec Paullus pater. **QVID: Prodicus**: Commoda uitae pro dijs habita. **QVID: qui aut fortes**, & ἀποθέωσις, id est, consecratio, seu relatio hominum praeclarorum in deos. **QVAE ratio** & qui modus perueniendi ad deos per uirtutes, & principatus. **TRACTATA est** & monumentis scilicet litterarum. **Ab Eubemero** & Lactantius Firmianus lib. I. de falsa religio. ita scribit, Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit e ciuitate Messana, res gestas Iouis, & ceterorum, qui dij putantur, collegit, historiamq. cōtextuit, hanc interpretatus est Ennius, & secutus. **INTERPRETATVS est** & in Latinum uertit. nempe sacram Euhemeri historiam. **ELEVSINAM sanctam** & Cererem religiosam, quae uti communis omnium mater apud Eleusinem Atticae urbem sacris inuiolabilibus colebatur. Cereris autem nomine terram intelligebant. **AVGVSTAM** & illustrem, praeclaram, maiestate praeditam. **VBI** & apud quam Cererem in eius templo. **INITIANTVR** & instruuntur sacris Cerealibus. **GENTES orarum ultimae** & gentes, quae ab extremis, ac per hoc remotissimis regionibus, ibi conueniunt in templo: de quo Strabo agens de Attica regione sic inquit: Eleusis urbs, ibi Eleusinae Cereris templum exstat, & mysticum fanum, turbae theatrialis capacissimum. **SAMOTHRACIAM, eamque, quae Lemni &c.** & Samothracia & Lemnos insulae sunt maris Aegei uersus Thraciam. **NOCTVRNO aditu occulta coluntur**, & Videtur cautum occultari quod turpiter foedeque commissum sit. **Honestū enim**, & sanctum non pudet euulgari. **Ad rationemq. reuocatis** & id est prudenter examinatis. **RERVM** & terrestrium scilicet, in quibus homo principem locum obtinet. ac si dicat ex ijs sacris magis cognosci naturam hominum, quam deorum. **MIHI quidem etiam** & Democriti delirium de dijs exploditur. **NATVRAE** & ambigere. **PRINCIPIA** & femina rerum. **MENTESQVE**, & intelligentias. **ANIMANTES imagines** & formas pulsantes sensus terrestrium. **TANTAS** & tam magnas. **PATRIA Democritis** & Abdero scilicet urbe Thraciae, cuius aer crassus erat. Delirationis Abderitarum meminit Lucianus. Vnde Iuuenalis:

Abderitanae pectora plebis habes.

DEMOCRITO & philosophica doctrina, quam profitebatur Democritus. **COMPREHENDERE** & imaginari, & ueras esse credere. **RELIGIONE** & debita ueneratione. **EPICVRVS uero &c.** & Epicurus adimens deo essentiales proprietates, gratiam, bonitatem &c. deum ipsum de medio tollit. **OPEM** & subsidium. **GRATIAM** & promptam, ac benignam uoluntatem promerendi. **CARVM** & amabilem, pretiosum. **QUANTO Stoici melius**. & Antithesis Stoicae sectae, quae ob uirtutem diligendos, & uenerandos consentit deos. **Melius**: uerius, eruditus. **CENSENT** & opinantur. **AMICOS**. & beneuolos, atque beneficos. **AMABILVS** & pretiosus, aptius, & dignius amari.

CICERO

VOS autem quid mali datis, cum imbecillitatem gratificationem, & beneuolentiam ponitis? ut enim omitam uim, & naturam deorum; ne homines quidem censeatis, nisi imbecilli essent, futuros beneficos, & benignos fuisse. nulla est caritas naturalis inter bonos? carum ipsum uerbum est amoris: ex quo amicitiae nomen est doctum: quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus: non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum. prata, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur. hominum caritas, & amicitia gratuita est: quanto igitur magis deorum? qui nulla re egentibus & inter se diligunt, & hominibus consulunt. quod ni ita sit, quid ueneramur, quid praecamur deos? cur sacris potestates, cur auspicijs augures praesunt? quid optamus a dijs immortalibus? quid nouemus? At etiam Epicuri liber est de sanctitate. ludimur ab homine non tam faceto, quam ad scribendam licentiam libero. quae enim

potest esse sanctitas, si dij humana non curant? quae autem animas natura, nihil curant? uerius est igitur illud nimirum, quod familiaris omnium nostrum Possidonius diseruit in libro quinto de natura deorum, nullos esse deos Epicuro uideri: quaeque is de dijs immortalibus dixerit, inuidiae detestatae gratia dixisse. neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculis similem deum fingere, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu solido: membrum hominis praeditum omnibus usu membrorum ne minimo quidem: exsile quendam, atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem. quae natura primum nulla esse potest: idque uidet Epicurus, re tollit, oratione relinquit deos: deinde, si maxime talis est deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur; ualeat: quid enim dicam, propitius sit? esse enim propitius potest nemini: quoniam, ut dicitis omnis in imbecillitate est & gratia, & caritas.

EXPLA-

EXPLANATIO

QUID *mali datis*, & quantum mali afferunt ratiocinationes uestrae? **IMBECILLITATEM** & impotentiam, **GRATIFICATIONEM** & collationem beneficiorum. **PONITIS** & confunditis: nimirum aestimantes gratificationem, & benevolentiam esse imbecillitatis indicium. **VIM**, & *naturam deorum* & naturalem proprietatem diuini numinis. **BENEFICOS** & auxiliares. **BENIGNOS** & beneuolos. **CARITAS** & dilectio. **NATURALIS** & naturae insita. **CARVM ipsum** & Explicat Cotta uim, & significationem caritatis. Carum, inquit, dicitur pretiosum, & dignum amore, a quo amicitia dicta, quae est beneuolentia mutua, non latens. **QVAM si ad** & amicitia non est proprietatum utilitatum mercatura. **DUCTVM**: & deriuatum. **MERCATVRA** & negotiatio, & ars lucrandi. **GRATVITA** & nullum exigens praemium extrinsecum. **CONSULVNT** & prouident. **SACRIS** & sacrorum caerimonijs. **QVID nouemus** & ac si dicat, Frustra haec omnia fiunt, si dii humana non curant, nec hominibus consulunt. **DE sanctitate** & de caerimonijs, siue scientia honorandi diuinam naturam. Confutat sanctitatem Epicuri fictam euincens per quem *πυλοισμὸν* Epicuro nullum esse deum, quantum uerbis eum iacet plausibilibus. **LYDIMVR** & deridemur, inquit Cotta, ab Epicuro, qui aliter scripsit, & aliter sensit. **NON tam faceto** & non tam iocoso. **INUIDIAE detestandae gratia** & ut odium detestandum repelleret: quoniam Athenienses puniebant impios. **NEQ. enim** & ratio, quare sic esset de Epicuro sentiendum, quoniam, cum esset philosophus, sciebat eiusmodi naturam neque corpus non reperiri. **NON habitu solido** & citra internam soliditatem, ac si esset imago stuppea. **EXSILEM** & tenuem. **PERLYCIDVM** & transmittentem lumen, nihil habentem deni. Haec dicuntur a Graecis Diaphana, a uerbo *φαίω*, siue *φαίωμαι*, id est luceo, & appereo. inde Phaenomena, de quibus scripsit Aratus: & *διδ.* Graece, quod Per Latine significat. **QVAE natura** & quae naturalis qualitas deorum. **RE** & opinione, ac sententia. **TENEATVR** & occupetur. **VALEAT**: & recedat a nobis. **QVID enim dicam**, & c. & quasi dicat, frustra id dixerim. **PROPTIVS** & fautor. **QVONIAM, ut dicitis omnis**, & c. & nam, si gratia, & caritas in deo essent, imbecillitas quoque ineliceret, uti Epicuri deliramenta interpretantur.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

GIOR

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

EXPLA





I N

M. TVLLII. CICERONIS

DE NATVRA DEORVM

AD M. IVNIVM. BRVTVM

LIBRVM. II.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

Balbus ex Stoicorum disciplina differit deos esse, mundumq. ab ijs regi, & humanam gentem praecipue curari ac diligi: interim de Astronomia deq. planetarum motibus, & effectibus luculente tractans, demq. de animantium complurium natura, & de fabrica partium corporis humani. Horum autem omnium cognitio, ut summe necessaria, ita & gratissima esse debet omnibus studiosis.

CICERO



QVAE cum Cotta dixisset, tum Velleius, Naee ego, inquit, incautus, qui cum Academicis, & eodem rhetore congregati conatus sum. nam neque in desertum Academicum pertinuissim, nec sine ista philosophia rhetorem quamvis eloquentem. neque enim flumine conturbor inanum uerborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. tu autem, Cotta, utraque re ualuisisti: corona tibi, & iudices defuerunt. sed ad ista alias: nunc Lucilium, si ipsi commodum est, audiamus. Tum Balbus, Eundem equidem, inquit, malle audire Cottam, dum, qua eloquentia falsos deos sustulit, eadem ueros inducat. est enim & philosophi, & pontificis, & Cottae, de dijs immortalibus habere non errantem, & uagam, ut Academicis, sed, ut nosiri, stabilem, certamq. sententiam. nam contra Epicurum satis superq. dictum est. sed aueo audire, tu ipse Cotta quid sentias. An, inquit, oblitus es, quod initio dixerim, facilius me, talibus praesertim de rebus, quid non sentirem, quam quid sentirem, posse dicere: quod si haberem aliquid, quod liqueret; tamen

te audire uicissim uellem, cum ipse tam multa dixisset. Tum Balbus, Geram tibi morem, & agam quam breuissime potero. etenim, conuictis Epicuri erroribus, longa de mea disputatione detracta oratio est. Omnino diuidunt nostri totam istam de dijs immortalibus quaestionem in partes quattuor. primum, docent esse deos: deinde, quales sint: tum, mundum ab his administrari: postremo, consulere eos rebus humanis. Nos autem hoc sermone, quae priora duo sunt, sumamus: tertium, & quartum, quia maiora sunt, puo in aliud esse tempus differenda. Minime uero, inquit Cotta, nam & otiosi sumus; & ijs de rebus agimus, quae sunt etiam negotijs anteponendae. Tum Lucilius, Ne egere quidem uidetur, inquit, oratione prima pars. quid enim potest esse tam apertum, tamq. perspicuum, cum caelum suspeximus, caelestiaq. contemplati sumus, quam esse aliquod numen praesstantissimae mentis, quo haec regantur? quod ni ita esset; qui potuisset assensu omnium dicere Ennius, Adspice hoc sublime candens, quem uocant omnes Iouem. illum uero et Iouem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem, & ut idem Ennius, -patrem diuumq. hominumq. & praesentem, ac praepotentem deum. quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus